




**IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)**



**Photographic
Sciences
Corporation**

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 672-4503

28
32
36
40
44
48
52
56
60
64
68
72
76
80
84
88
92
96
100

**CIHM/ICMH
Microfiche
Series.**

**CIHM/ICMH
Collection de
microfiches.**



Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques

11
10

© 1985

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:




Library of the Public
Archives of Canada

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol \rightarrow (meaning "CONTINUED"), or the symbol ∇ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:



L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:


La bibliothèque des Archives
publiques du Canada

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole \rightarrow signifie "A SUIVRE", le symbole ∇ signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.



(Sequens S. Congnis. Decretum omissum est à typographo in pagina 81, post lineam 25.)

DECRETUM SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPDA. FIDE.

Archiepiscopus et Episcopi Ecclesiasticæ Provinciæ Canadensis per R. P. D. Joannem Carolum Prince Episcopum deputatum ad Apostolicam Sedem, exposuerunt redditus ad sustentandos Episcopos, atque ad Episcopalia obervanda munia, præcipuè in Diœcesibus recentius erectis esse exiguos et communiter ex fidelium pietate provenire; adeoque supplicarunt ut opportuna aliqua ratione provideretur. Omnibus vero ritè perpensis in generali conventu habito die 17 maii 1852, referente Emo. ac Revmo. Dno. Cardinali Ludovico Altiero, Emi. Patres censuerunt permittendum Archiepiscopo et Episcopis ut pro decima parte reddituum singuli Parochi seu missionarii vices Parochorum fungentes onerari possint, donec aliter à Sede Apostolica provideatur. Hanc vero S. Congnis. sententiam SSmo. Dno. Nro. Pio Papæ IX., ab infrascripto ejusdem Secretario relatum, Sanctitas sua benignè probavit servarique præcepit, contrariis quibuscumque nonobstantibus.

Datum Romæ ex ædibus S. Congnis. de Propda. Fide die 6 julii 1852.

L. S.


J. PH. CARD. FRANZONI, *Præf.*

ERRATA.


<i>Fol</i>	<i>5</i>	<i>loco</i>	SEDIS	<i>lege</i>	SEDI.
"	17	"	staturunt	"	statuerunt.
"	"	"	qu	"	qui.
"	21	"	Assumptionos	"	Assumptionis.
"	26	"	præscriptam.	"	præscriptam.
"	45	"	subcriptionis	"	subscriptionis.
"	71	"	ann	"	anno.

ACTA ET DECRETA
PRIMI CONCILII
PROVINCIAE QUEBECENSIS.





ACTA ET DECRETA
PRIMI CONCILII
PROVINCIAE QUEBECENSIS,
IN QUEBECENSI CIVITATE
ANNO DOMINI MDCCCLI,
PONTIFICATUS PII PAPÆ NONI VI,
CELEBRATI,
A Sancta Sede revisa et recognita.



QUEBECI:
Apud Aug. Côté et soc., typographos ac bibliopolas.
MDCCCLII.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

AND

JOHN HALL

ACTA
PRIMI CONCILII
PROVINCIAE QUEBECENSIS

ANNO MDCCCLX

CELEBRATI

PRÆSIDE ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI.

LITTERÆ DE INDICENDO ET CONVOCANDO

Provinciae Quebecensis Primo Concilio.

PETRUS-FLAVIANUS TURGEON,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
ARCHIEPISCOPUS QUEBECENSIS, &c., &c.

*Reverendissimis Provinciæ nostræ et Halifaxensis, Carolino-
politianensis, Neo-Brunopolitanensis et Arichatensis
Diocesium Episcopis, nostro eorumdemque clero et po-
pulo, salutem in Domino.*

CUM Sanctæ Sedis Apostolicæ visum sit, bulla die 12a
mensis Julii, anno 1844 data, in provinciam metropolita-
nam erigere et constituere Quebecensem, Marianopolita-
nensem, Regiopolitanensem, Torontinam Dioceses, sub
denominatione Provinciæ Metropolitanæ Quebecensis, cu-
jus Metropolis est Quebecensis Ecclesia; et cum postea
eidem auctoritati placuerit Terræ-Novæ et Districtus Nord-
Ouest Dioceses, bulla data die 4a Junii A. D. 1847, eo-
demque anno Bypolitanam Diocesim, bulla data die 27

Junii dictæ Provinciæ unire ; cumque supracitata bullâ, data die 12a Julii anno 1844, Carolipolitanensis, Neo-Brunopolitanensis, Halifaxensis Episcopi, necnon et Arichatensis Episcopus (cujus diœcesis ex parte diœcesis Halifaxensis constituta est), quando Provinciale Concilium Quebecense celebrari contingat, juxta Concilii Tridentini præscriptionem ad illud teneantur accedere ; cumque secundum ejusdem Sancti Concilii præscriptionem, supradictæ Provinciæ metropolitanæ muneris sit tam suffraganeos quam adjunctarum diœcesium episcopos in Synodum vel Concilium Provinciale convocare, ut cum ipso, sub Sancti Spiritus præsidio, de omnibus his quæ spectant ad reprimendos abusos, ad reformandos mores, ad augendum religionis honorem suis in diœcesibus securdum canones statuunt ;

Perpendentes nobis, etsi nondum Sacro Pallio decoratis, concessam tamen fuisse, Sanctæ Sedis indulto die 7a Martii 1847 dato, auctoritatem exercendi, eveniente Illustrissimi antecessoris nostri decessu, quascumque functiones metropolitanas ipse exercere poterat, dum nobis prædictum Sanctum Pallium concederetur ;

Nos, quantum in nobis est, hac in parte, officii nostri muniis satisfacere cupientes, re maturè perpensa et sacro Dei nomine invocato, Synodum seu Concilium Provinciale in civitate nostra Quebecensi ecclesiaque nostra metropolitana indicere et convocare decrevimus, illudque, in dicta nostra Ecclesia, ad diem decimam quintam mensis Augusti præsentis anni, festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis incipiendum et postea usque in finem prosequendum, per præsentem indicimus atque convocamus.

Quocirca Reverendissimos in Christo ac venerabiles Fratres Regiopolitanensem, Marianopolitanensem, Torontinum, Terræ-Novæ, Districtus Nord-Ouest et Bypolitanum Episcopos nostros co-provinciales, necnon Carolipolitanum,

Noo-Brunopolitanensem seu Novi-Brunswikii, Halifaxensem et Arichatensem Episcopos, dictæ Provinciæ Metropolitanæ a Sancta Sede adjunctos, eorundemque Coadjutores cum futura successione, ac alios quoscumque qui de jure vel privilegio Synodo seu Concilio Provinciali interesse debent enixè hortamur et invitamus et, in quantum necesse est, auctoritate nostra Archiepiscopali et ordinaria requirimus et admonemus, eisque, virtute sanctæ obedientiæ, districtè præcipimus ut ad dictum Synodum seu Concilium Provinciale celebrandum convenient et personaliter compareant, nisi forte justo detenti impedimento, a procuratoribus ab eis legitimè electis in hoc Concilio suppleantur; et quoscumque suarum respectivè Diocesium ecclesiasticos, qui de jure vel privilegio interesse debent, ad illud quoque convenire et comparere faciant.

Datum Quebeci in ædibus nostris archiepiscopalibus, sub signo sigilloque nostris ac Secretarii nostri chirographo, in Epiphania Domini, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo.



P. F. ARCHIEPPUS QUEBECENSIS,

L. + S.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi

DD. Quebecensis Archiepiscopi,

EDMUNDUS J. NGEVIN, Pter.

Secretarius.

~~~~~

§ I.

*Prima Congregatio privata.*

**JUXTA** decretum Indictionis, in Epiphania Domini, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo ab Illmo. ac Rmo. DD. Archiepiscopo Quebecensi datum, convenerunt die decimaquarta mensis Augusti

ejusdem anni, in ædibus palatii archiepiscopalis Quebecensis cum præfato Illmo. ac Rmo. DD. Archiepiscopo Quebecensi, Petro Flaviano Turgeon ;

Rmus. DD. Episcopus Kingstoniensis, Remigius Gaulin ;

Rmus. DD. Episcopus Marianopolitanensis, Ignatius Bourget ;

Rmus. DD. Episcopus Bypolitanus, Josephus Eugenius Bruno Guigues ;

Rmus. DD. Episcopus Torontinus Franciscus Maria Armandus a Comitibus de Charbonnel.

I.—Placuit Patribus Coadjutores Episcoporum Provinciae ad Concilium admittendos cum voce decisiva, qua tamen agendi ratione nihil decernere intendunt pro futuris Conciliis ;

Idcirco admissi sunt Rmus. DD. Episcopus Carrhensis, Coadjutor supradicti Rmi. Kingstoniensis Episcopi, necnon Administrator Kingstoniensis diocesis, Patritius Phelan ;

Rmus. DD. Episcopus Martyropolitanus, Coadjutor supradicti Rmi. Episcopi Marianopolitanensis, Joannes Carolus Prince ;

Rmus. DD. Episcopus Tloanensis, Coadjutor supradicti Illmi. ac Rmi. Archiepiscopi Quebecensis, Carolus Franciscus Baillargeon ;

II.—Rmus. Joannes Thomas Mulloch, ad Concilium convocatus ut suffraganeus Quebecensis, profert quoddam Breve a S. Sede datum die octava mensis Octobris anno millesimo octingentesimo quinquagesimo, virtute cujus diocesis Terræ-Novæ distrahitur

a provincia ecclesiastica Quebecensi. Hoc autem Rescriptum sic se habet :

PIUS PAPA IX.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Litteris nostris in forma Brevis, die 4. Junii anni 1847, datis, quibus nova episcopalis ecclesia in Insula Terræ-Novæ fuit constituta, illud quoque continebatur novæ hujus sedis antistites suffraganeos esse debere Archiepiscopi Quebecensis. Cum vero plura deinde S. C. de Prop. Fide fuerint exposita, quæ evincant minus opportunum existere pro ecclesiastico regimine, attentis locorum et personarum adjunctis, unionem istam Ecclesiæ Terræ-Novæ cum Provincia Quebecensi, hinc est quod nos de ecclesiarum bono potissimum solliciti eo in capite præfatis litteris ultro derogandum censuimus.

Proindè de ejusdem S. C. consilio tenore præsentium statuimus Episcopum Terræ-Novæ et successores ejus haud esse amplius adstrictos titulo suffraganeatus supradictæ Quebecensis Provinciæ, prout per supradictas literas in forma Brevis fuerat inductum, amplissima ratione in eo capite iis derogantes, cum tamen in reliquis omnimodam iisdem auctoritatem servandam decernamus. Decernentes has presentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus plenissimè suffragari.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annu-

lo Piscatoris, die 4. Augusti 1848., Pontificatus nostri anno tertio.

Pro D. Card. LAMBRUSCHINI.

(Sign.) A. PICCHIONI, Substitutus.

Die 8. Octobris 1850. (Concordat cum originali.)

L. + S.

AL. BARNABO, a Secretis.

Nonobstante hac exemptione a S. Sede concessa, Rmus. Episcopus Terræ-Novæ ad Concilium se venisse fatetur ut Patribus suæ venerationis testimonium daret, et ut extraneus Episcopus admitti exoptat.

III.—Rmus. Bernardus Donaldus McDonald, Episcopus Carolinopolitanus, etsi non sit suffraganeus, ad Concilium convocatus, virtute Bullæ a S. Sede data die duodecima Julii anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, Provinciam ecclesiasticam Quebecensem erigentis, exponit locum esse sperandi, ex Brevi supra memorato, in provinciis sinus S. Laurentii proximioribus formandam esse provinciam ecclesiasticam, in qua includeretur diocesis Carolinopolitana; itaque Concilio interesse desiderat solummodo ut extraneus episcopus.

Maturè perpendens rationibus a Rmis. Episcopis Carolinopolitano et Terræ-Novæ allegatis, placuit Patribus admittere eos cum voce consultativa, eisque concedere facultatem eligendi presbyteros assistentes qui inter Theologos et Canonistas connumerentur.

IV.—Aberant Rmus. Josephus Norbertus Proven-

cher, Episcopus Territorii vulgo dicti *Nord-Ouest*, Archiepiscopi Quebecensis suffraganeus, necnon Rmi. Gulielmus Fraser, Episcopus Arichatensis, Gulielmus Dollard, Episcopus Novi-Brunswiki, et Gulielmus Walsh, Episcopus Halifaxensis, quorum dioceses sunt extra limites Provinciæ Ecclesiasticæ Quebecensis, qui tamen virtute supradictæ Bullæ provinciam ecclesiasticam erigentis, præsens Concilium adire tenebantur. Aberat etiam admodum Rev. Alexander Taché, Episcopus Aratiensis electus, et supradicti Rmi. Episcopi Provencher Coadjutor cum futura successione designatus.

Litteris datis die vigesima sexta Maii proximè elapsi, se infirma valetudine et itinere longiori impediri quin Concilio adesset exposuit Revmus. Episcopus Provencher.

Rmus. Episcopus Dollard, litteris datis die quinta mensis Augusti, respondit se, ob instantia negotia haud posse Concilium adire.

Rmi. Episcopi Fraser et Walsh nullum litteris convocantibus responsum dederunt.

Præsumitur quod admodum Reverendus Episcopus Aratiensis electus in missione longè dissita degens serius ut adiret Concilium litteras convocationis recepit.

V.—Peracto examine delegationis Capituli ecclesiæ cathedralis Marianopolitanæ, tanquam Procurator dicti capituli admissus est Rev. Josephus LaRoque, canonicus pœnitentiarius dicti capituli.

VI.—Insuper admissi sunt tanquam Theologi et Canonistæ :

1.—Illmi. ac Rmi. DD. Archiepiscopi Quebecensis: Admodum Reverendi Thomas Cooke, Parochus Immaculatæ Conceptionis vulgo *Trois-Rivières*, et Alexius Mailloux, Vicarii Generales dicti Archiepiscopi, et Reverendi Ludovicus Jacobus Casault, Superior Seminarii Quebecensis, et Ludovicus Proulx, Parochus Quebecensis ;

2.—Rmi. DD. Kingstoniensis Episcopi : admodum Rev. Joannes McDonald, Vicarius Generalis dicti Episcopi, et Rev. Æneas McDonald, presbyter diœcesis Marianopolitanensis ;

3.—Rmi. DD. Marianopolitanensis Episcopi : Reverendi Joannes Floridus Baudrand, Superior Oblatorum Mariæ Immaculatæ, in Marianopolitana diœcesi, Petrus Maria Mignault, archipresbyter, parochus a S. Josepho vulgo *Chambly*, et Leonardus Vincentius Villeneuve, presbyter Seminarii S. Sulpitii Marianopolitanensis ;

4.—Rmi. DD. Bypolitani Episcopi : Reverendi Petrus Aubert, Superior Oblatorum Mariæ Immaculatæ, in diœcesi Bypolitana, Franciscus Xaverius Delage, parochus a Beata Maria Auxilii vulgo *l'Islet* in Quebecensi archidiœcesi, et Jacobus Hughes, parochus a S. Paulo vulgo *Aylmer*, in dicta diœcesi Bypolitana ;

5.—Rmi. DD. Torontini Episcopi : Rev. Antonius Parant, presbyter Seminarii Quebecensis, Josephus Marcoux, archipresbyter, S. Francisci Xaverii vulgo *Sault St. Louis* missionarius, in Marianopolitana diœ-

cesi, et Petrus Henricus Harkin, presbyter domus archiepiscopalis Quebecensis ;

6.—Rmi. DD. Carrhensis Episcopi: admodum Rev. Æneas McDonnell, Vicarius Generalis Episcopi Kingstoniensis, et Reverendi Olivarius Kelly, parochus loci vulgo dicti *Brockville*; et Jacobus Chisholm, Theologiæ Doctor, parochus loci vulgo dicti *Lindsay*, ambo ejusdem diœcesis ;

7.—Rmi. DD. Martyropolitani Episcopi: Reverendi Felix Martin, Superior Societatis Jesu in Marianopolitana diœcesi, Joannes Sabinus Raymond, Superior Seminarii S. Hyacinthi, et Petrus Adolphus Pinsonneault, ecclesiæ cathedralis Marianopolitanæ Capellanus ;

8.—Rmi. DD. Tloanensis Episcopi: Reverendi Ludovicus Saché, Superior Societatis Jesu, in archidiœcesi Quebecensi, Georgius Hilarius Besserer, archipresbyter, parochus a S. Familia, in insula Aurelianiensi, et Josephus Fortunatus Aubry, presbyter Seminarii Quebecensis ;

9.—Rmi. DD. Carolinopolitani Episcopi: Reverendus Petrus McIntyre, parochus loci vulgo dicti *Tegnish*, in diœcesi Carolinopolitana ;

10.—Rmi. DD. Terræ-Novæ Episcopi: Rev. Kyronus Walsh, administrator parochiæ civitatis S. Joannis, in dicta diœcesi Terræ-Novæ.

VII.—Illmus. ac Rmus. DD. Archiepiscopus Quebecensis, de consilio et consensu Rmorum. aliorum Patrum Concilii designavit tanquam officarios seu adjuutores dicti Concilii:

1.—Promotorem Concilii, Rmum. DD. Tloanensem Episcopum ;

Vice-Promotorem, Rev. Joannem Baptistam Antonium Ferland, domus archiepiscopalis Quebecensis presbyterum.

2.—Secretarium Concilii, admodum Reverendum Carolum Felicem Cazeau, Vicarium Generalem Archiepiscopi Quebecensis ;

Vice-Secretarium, Rev. Josephum Octavium Paré, canonicum capituli cathedralis ecclesiæ Marianopolitanensis ac secretarium diocesis Marianopolitanensis.

3.—Magistrum Cæremoniarum, Rev. Ludovicum Casault, Superiorem Seminarii Quebecensis ;

Adjutorem Cæremoniarum-Magistri, Reverendum Edmundum Carolum Hyppolitum Langevin, secretarium archidiocesis Quebecensis.

4.—Cantores, Reverendos Ludovicum Proulx, parochum Quebecensem et Eduardum Gabrielem Plante, vicarium parochiæ Quebecensis.

VIII.—Hi omnes procedent et sedebunt ordine sequenti ;

1.—Archiepiscopus, Episcopi titulares, administratores, coadjutores, Episcopi extranei, omnes secundum ordinem promotionis suæ ;

2.—Procuratores Episcoporum ;

3.—Deputati a Capitulis juxta prioritatem promotionis ;

4.—Vicarii Generales ;

5.—Superiores Seminariorum et Ordinum ;

6.—Cœteri vero pro jure ordinationis, Regulares post Sæculares.

IX.—Proponuntur ab Illmo. ac Rmo. Archiepiscopo Decreta in prima sessione legenda ;

1.—Decretum *de aperienda Synodo* ;

2.—Decretum *de modo vivendi in Concilio* ;

3.—Decretum *de professione fidei* ;

Quæ Decreta a Patribus unanimi consensu admissa sunt.

X.—Quoad residentiam omnium qui interesse Concilio tenentur, nec non distributionem horarum pro tempore Concilii, Rmi. Patres quod sequitur statuerunt:

1.—Omnes in Palatio Archiepiscopali manebunt, nec quisquam inde in civitatem exire poterit sine licentia Illmi. ac Rmi. DD. Archiepiscopi.

2.—Hora quinta dabitur signum ad surgendum ; tum unusquisque vacabit orationi mentali, horarum recitationi aliisque piis exercitiis.

3.—Hora septima cum dimidia, Missa Synodalis cui interesse debent, in quantum fieri potest, quicumque in Concilio admittuntur.

4.—Hora nona, Congregationes particulares.

5.—Hora undecima cum tribus quadrantibus, examen conscientiae.

6.—Hora duodecima, prandium quod lectione Scripturæ Sacræ et historiæ S. Caroli Borromæi condietur. Visitatio SSmi. Sacramenti ; deinde recreatio.

7.—Hora secunda post meridiem signo indicabitur finis recreationis, et horæ respectivæ recitabuntur.

8.—Hora tertia, Congregatio generalis, nisi aliter mandaverint Rmi. Patres.

9.—Hora sexta, tempus vacandi recitationi coronæ Beatæ Virginis Mariæ vel aliis piis exercitiis.

10.—Hora sexta cum dimidia, cœna eadem ratione ac prandium ; visitatio SS. Sacramenti et relaxatio.

11.—Hora octava, oratio vespertina et lectio meditationis diei sequentis subjecti.

IX.—De ordine servando in privatis Congregationibus Episcoporum sequentes regulas placuit Patribus decernere :

1.—Invocata Divini Luminis gratia per Antiphonam *Veni Sancte Spiritus*, et Orationem ad Beatissimam Virginem *Memorare*, Episcopi sedent juxta ordinem temporis suæ promotionis.

2.—Secretarius Acta Congregationis præcedentis legit ; Episcopi, si quid circa illa mutandum vel illis addendum putant, proponunt.

3.—Promotor proponit unam de quæstionibus discutiendis vel definiendis ; legit vel legendum tradit Secretario votum theologorum quibus illius quæstionis examen commissum fuerat.

4.—Episcopi sententiam suam aperiunt ordine quo sedent.

5.—Demum statur majori parti suffragiorum.

XII.—Quoad regulas in Congregationibus generalibus servandas, Rmi. Patres statuerunt :

1. Nihil ad Synodum referetur præter ea quæ Illmus. ac Rmus. Archiepiscopus, consentientibus Rmis. aliis Patribus, tractanda judicaverit.

2.—Invocata Spiritus Sancti assistentia per Antiphonam *Veni, Sancte Spiritus* et orationem *Adsumus*, Episcopi sedent juxta ordinem promotionis.

3.—Promotor proponit quæstiones discutiendas et requirit ut votum circa illas legatur ab uno ex theologis Congregationis specialis cui illarum examen commissum fuerat.

4.—Lecto voto theologorum Congregationis particularis, vel qualibet quæstione proposita, cuilibet theologorum dicendi sententiam, quo sedet ordine, facultas datur.

5.—Omnes dicendo sententiam Illmum. ac Rmum. DD. Archiepiscopum alloquentur, alternis sermonibus inter se abstinebunt, atque brevitati, quantum fieri poterit, consulent.

6.—Prælatorum sententiæ in congregationibus generalibus non rogabuntur; a theologis tamen quid sentiant iterum exquirere, ac fusiorem explicationem sciscitari ipsis licebit.

XIIIe.—Staturunt Patres ordinandas esse ex iis quæ Concilio assistunt diversas congregationes, quæ sibi propositas a Patribus quæstiones expendant, et scripto referant quid de illis sentiendum judicaverint; ita ut, variis materiis inter illas congregationes divisis, citius absolvi possint Concilii labores. Quinque autem efformentur congregationes.

Prima silicet *de Decretis*.

Rmo. Tloanensi Episcopo Præsidi.

Admodum Rev. Aeneas McDonnell, et Reverendi Saché, Aubry, Villeneuve et Kelly.

*Secunda de Doctrina.*

Rmo. Bypolitano Episcopo Præsìde.  
 Reverendi Aubert, Parant, Delâge, Aeneas McDonald,  
 Harkin et Chisholm.

*Tertia de Liturgia.*

Rmo. Martyropolitano Episcopo Præsìde.  
 Reverendi L. Casault, Plante, Pineseault et Lan-  
 gevin.

*Quarta de Disciplina.*

Rmo. Marianopolitanensi Episcopo Præsìde.  
 Admodum Reverendi Cooke, Mailloux et J. Mc-  
 Donald, V. G., et Reverendi Baudrand, Marcoux,  
 Besserer, Ferland et Hughes.

*Quinta de studiis litterariis et ecclesiasticis.*

Rmo. Torontino Episcopo Præsìde.  
 Reverendi LaRoque, Martin, Mignault, Proulx,  
 Raymond; Walsh et McIntyre.

XIV.—Circa primam Generalem Congregationem  
 Concilii Secretarius jubetur omnibus qui Concilio in-  
 teresse debent notum facere, per publicum edictum,  
 quòd in aula palatii archiepiscopalis, eadem die, tertia  
 hora post meridiem habenda est.

His peractis et recitata oratione *Sub tuum* etc. rece-  
 dunt Patres.

*Congregatio prima Generalis.*

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo  
 primo, die decimaquarta Augusti, hora tertia post  
 meridiem, in Congregatione generali consederunt,

Præside Illmo. ac Rmo. Archiepiscopo Quebecensi, Rmi. DD. Kingstoniensis, Marianopolitanensis, By-  
politani, Torontinus, Carrhensis, Martyropolitani,  
Tloanensis, Carolinopolitanus et Terræ-Novæ Epis-  
copi, omnes cum rochetto et mozetta.

Interfuere etiam Deputatus a Capitulo ecclesiæ ca-  
thedralis Marianopolitanensis, theologi et officarii Con-  
cilii rite convocati, in habitu ordinario, in aula majori  
palatii archiepiscopalis, in cujus medio, super sugges-  
tum decenter ornatum exposita erant Sancta Evangelia.

Inchoante Archiepiscopo, recitatus est ab omnibus,  
flexis genibus, facie versa ad crucem archiepiscopalem,  
hymnus *Veni Creator*, cum oratione propria, cui addita  
est deprecatio *Adsumus* etc., ut in pontificali.

Oratione peracta, instante Rmo. Promotore, Illmus.  
ac Rmus. Archiepiscopus declarat Coadjutores Episco-  
porum Provinciæ admissos fuisse, cum voce decisiva, et  
Reverendissimos Episcopos Carolinopolitanum et Ter-  
ræ-Novæ, licet extra-provinciales, Concilio tamen  
adesse optantes, omnium deliberationum et actionum  
Synodi, cum voce consultativa, participes etiam admis-  
sos fuisse.

His declaratis, legitur procuratio qua Rev. Josephus  
LaRoque a Capitulo ecclesiæ cathedralis Marianopoli-  
tanensis ad Concilium deputatur, et proclamantur  
nomina theologorum seu canonistarum necnon officia-  
riorum seu adjutorum Concilii, ut leguntur in prima  
privata congregatione.

Post hoc legitur quod statutum est in dicta privata  
congregatione super ordinem præcedentiæ.

Decreta : 1. *De aperienda Synodo* ; 2. *De modo vivendi in Concilio* ; 3. *De professione fidei* ; ab Illmo. ac Revmo. DD. Archiepiscopo præparata, atque a Patribus in congregatione privata recognita et recepta, palam perlecta sunt.

Legitur etiam quod statutum est a Patribus quoad residentiam omnium qui interesse Concilio tenentur, necnon distributionem horarum pro tempore Concilii.

Regulæ jam alias a Patribus in congregatione privata, quoad ordinem in congregationibus generalibus servandum, sancitæ, recitatæ sunt.

Tum proposita est promissio sequens circa secretum ab omnibus tenendum :

*" Promitto me nihil ex iis quæ dicentur, sive in congregatione generali, sive in congregationibus particularibus, esse revelaturum quod possit detrudere vel reverentiæ Concilio debita, vel honori cujusvis personæ.*

*" Promitto insuper me nulla decreta Concilii scriptis publicis divulgaturum, antequam typis demandata fuerint Reverendissimorum Patrum auctoritate."*

Deinde proclamatæ sunt congregationes *de decretis, de doctrina, de liturgia, de disciplina et de studiis litterariis et ecclesiasticis*, jam in privata congregatione efformatæ.

Indicata fuit prima sessio generalis, die sequenti hora octava ante meridiem habenda.

Huncque finem habuit, recitata oratione *Sub tuum* etc., prima congregatio generalis.

---

*Sessio prima.*

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo pri-

mo, anno Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Pii, Divina Providentia Papæ IX. sexto, die decimaquinta Augusti, feria sexta, die festo Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, mane hora octava, convenerunt in locum congregationibus generalibus destinatum :

1.—Illustrissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus Quebecensis, cum Reverendissimis Episcopis Kingstoniensi, Marianopolitanensi, Bypolitano, Torontino, Carrhensi, Martyropolitano, Tloanensi, Carolinopolitano et Terræ-Novæ, omnes rochetto et mozetta violacea induti ;

2.—Deputatus a Capitulo ecclesiæ cathedralis Marianopolitanensis, cum insignibus dicti Capituli ;

3.—Theologi, canonistæ et Concilii adjutores superpelliceo induti.

Ibi postquam Reverendissimi Præsules cappa et mitra induti sunt, processionaliter ad Ecclesiam Metropolitanam, in qua habenda erat Sessio, perrexerunt omnes, hoc ordine ;

Apparitor, (Bedeau) ;

Thuriferarius ;

Clericus crucem ferens, medius inter duos alios clericos candelabra et cereos gerentes ;

Clerici superpelliceo induti ;

Cantores cappa induti ;

Theologi, canonistæ et officarii superpelliceo induti ;

Deputatus a Capitulo ecclesiæ cathedralis Marianopolitanensis ;

Episcopi extraprovinciales, } Quisque incedens  
 Episcopi coadjutores, } inter duos cappel-  
 Episcopi titulares, } lanos ;

Clericus tunica indutus, crucem archiepiscopalem ferens ;

Diaconus et Sub-diaconus ex officio ;

Archiepiscopus indutus ut supra et baculum gerens, et inter duos diaconos assistentes procedens ;

Presbyter assistens cum cappa.

Clerici qui insignia Archiepiscopi gerunt ;

Matricularii (Marguilliers) Ecclesiæ Metropolitanæ.

Dum ad dictam Ecclesiam proceditur, Sanctorum litaniam cantantur.

Ecclesiam ingressi, legatus Capituli ecclesiæ cathedralis Marianopolitanensis, ac theologi et canonistæ adeunt stallos.

Patres vero Concilii pergunt ad faldistoria, ex utraque parte chori disposita et pone quemque sistit unus ex capellanis.

Stant a parte Evangelii Reverendissimi Episcopi Kingstoniensis, Bypolitanus, Martyropolitanus et Carolinopolitanus ; a parte vero Epistolæ Reverendissimi Episcopi Marianopolitanensis, Torontinus, Carrhensis, Tloanensis et Terræ-Novæ.

Reverendissimus Archiepiscopus. præmissa oratione ad pedes altaris, pergit ad thronum, ibique cappam exuens, pontificalia ornamenta assumit, cum pallio, ad celebrandam Missam de Assumptione Beatissimæ Mariæ Virginis, cum oratione de Spiritu Sancto sub eadem conclusione.

Dicto *Agnus Dei*, Reverendissimus Episcopus Marianopolitanensis, Reverendissimo Episcopo Kingstoniensi impedito, a præfecto cæremoniarum ad altare perducitur, et acceptum a Reverendissimo Archiepiscopo osculum pacis tradit cæteris Patribus.

Ordinario modo osculum pacis traditur theologis et reliquis de clero.

Finita Missa, Archiepiscopus pallium, casulam, tunicellas et manipulum deponit, et pluviale induens sedet in faldistorio quod infra gradus altaris locatur; ministri vero qui celebranti Pontifici astiterunt, sedilia prope eum, a dextris et sinistris, occupant. Disponitur infra gradus Sanctuarii mensa ornata cum Sacrarum Bibliorum codice, et prope tabulam crux archiepiscopalis erigitur. Tunc cantantur Antiphona *Exaudi nos etc.*, et Psalmus *Salvum me fac, etc.*

Psalmo finito, repetitur Antiphona *Exaudi nos etc.*, et deinde recitantur, juxta ritum in *Cæremoniali Concilii Provincialis* descriptum, preces et hymni quæ in Pontificali notantur pro prima sessione Concilii Provincialis.

Sermo ad populum a Rmo. Episcopo Torontino factus est.

Promulgantur et a Patribus sanciantur, cum cæremoniis assuetis decreta quæ sequuntur:

- 1.—Decretum *de aperienda Synodo*;
- 2.—Decretum *de modo vivendi in Concilio*, in quo proclamantur nomina officiariorum Concilii;
- 3.—Appellatione Patrum Concilii facta, Decretum

*de professione Fidei*, quæ quidem a singulis Concilii membris, ad exemplum Patrum, emittitur.

Indicatur postea secunda sessio pro feria quinta sequentis hebdomadæ, die scilicet vigesima prima Augusti, nisi pro rebus Concilii bene gerendis aliud conducere videatur.

Demum, benedictione solenni Reverendissimi Archiepiscopi accepta, et indulgentia quadraginta dierum publicata, processionaliter recedunt omnes ad domum archiepiscopalem.

*Secunda Congregatio privata.*

Sabbato, die decima sexta Augusti, hora nona ante meridiem, conveniunt Patres, leguntur et admittuntur acta præcedentium congregationum.

Sequentia ab Illmo. ac Rmo. DD. Archiepiscopo proponuntur decreta a Synodo sancienda, scilicet :

- 1.—*De Rituali;*
- 2.—*De Cœremoniali;*
- 3.—*De Catechismo.*

Quæ perlecta et summatim probata ad congregationem theologorum *de decretis* perferuntur.

Septem quæstiones circa litteraria et ecclesiastica studia ad congregationem *de studiis* referuntur.

Quæstio de opportunitate edendi, tanquam supplementum Rituali Romano, libellum ad dirigendos presbyteros in administratione Sacramentorum et parœciarum congregationi de disciplina communicatur.

Hora undecima cum dimidia, facta oratione, Patres recedunt.

*Tertia Congregatio privata.*

Sabbato, die decima sexta Augusti, hora tertia post meridiem, adsunt omnes Concilii Patres, exceptis Rmis. DD. Carolinopolitano et Terræ-Novæ Episcopis.

Leguntur acta præcedentis congregationis et approbantur a Patribus.

Decreta quæ sequuntur ab Illmo. ac Rmo. DD. Archiepiscopo proponuntur a Synodo sancienda, scilicet:

- 1.—*De catechesibus faciendis ;*
- 2.—*De jurisdictione presbyterorum ;*
- 3.—*De Breviario et Missali ;*
- 4.—*De Solemnitatibus ;*
- 5.—*De casibus reservatis.*

Quæ perlecta et summatim probata sic perferuntur, scilicet primum, secundum et quintum ad congregationem *de disciplina*, tertium et quartum ad congregationem *de liturgia*.

*Secunda Congregatio generalis.*

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo-primo, die dominica decima septima Augusti, quarta hora cum dimidia post meridiem habita est, loco solito, secunda congregatio generalis, cui interfuere omnes Patres Concilii, cum theologis et officiariis.

Facta oratione præscripta, legitur et discutitur prima relatio (rapport) congregationis *de liturgia*, super Calendario Provinciali, Breviario, et Cæremoniali edendo, ad usum provinciæ ecclesiasticæ ; sed discus-

sio finem non habens in dicta congregatione, ad ulteriorem congregationem remittitur.

Hora sexta, post preces, desinit congregatio.

*Quarta Congregatio privata.*

Feria secunda, die decima octava Augusti, hora nona ante meridiem, conveniunt Patres, excepto Reverendissimo Episcopo Carolinopolitano.

Leguntur acta Sessionis primæ necnon congregationis privatæ præcedentis, a Patribusque admittuntur.

Postea quæ sequuntur decreta ab Illmo. ac Rmo. Archiepiscopo proponuntur a Synodo sancienda, scilicet :

- 1.—*De incorporatione presbyterorum extraneorum ;*
- 2.—*De relationibus a parochis ad Ordinarium faciendis ;*
- 3.—*De cantu et musica in Ecclesiis.*

Quorum duo prima ad congregationem *de disciplina*, ultimum vero ad congregationem *de liturgia*, referuntur postquam a Patribus summatim probata sunt.

Quadrante ante meridiem discedunt Patres.

*Tertia Congregatio generalis.*

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria secunda, die decima octava Augusti, hora tertia post meridiem, conveniunt Patres, in loco solito, cum theologis et officariis Concilii, ad tertiam congregationem generalem habendam.

Leguntur acta secundæ congregationis generalis, post orationem præscriptam.

Leguntur etiam et discutiuntur :

- 1.—*Relatio prima congregationis de studiis littera-*

*riis et ecclesiasticis*, circa scholas communes mixtas, scholas normales, de limitatione studiorum classicorum, necnon collegiorum et scholarum secundariarum.

2.—Relatio prima congregationis *de disciplina* de casibus reservatis.

Incipit discussio partis ejusdem relationis quæ jurisdictionem sacerdotum spectat, sed finem non habens hora congruenti, ad proximiorum congregationem remittitur.

Notantur emissæ a quibusdam theologis sententiæ Patribus referendæ ut ab illis statuatur prout ipsis opportunum videbitur.

Hora sexta, post preces solitas, desinit congregatio generalis tertia.

#### *Quinta Congregatio privata.*

Feria tertia, die decima nona Augusti, hora nona ante meridiem conveniunt Patres, excepto Rmo. Episcopo Terræ-Novæ.

Leguntur et admittuntur acta congregationum generalis et privatæ præcedentium.

Discutitur pars primæ relationis congregationis *de studiis* scholas mixtas spectantis, et decretum in hac materia jubetur a congregatione *de decretis* formulari.

Peccata quæ sequuntur ut peccata reservata admittuntur :

- 1.—Concubinatus notorius ;
- 2.—Peccatum horum qui *scienter* ædes locant mulieribus publicè notis ut meretricibus ;
- 3.—Peccatum duellantium et ad duellum concurrentium in officio testium ;

Statuitur tamen quod, quum penitus bona fide confessus peccatum reservatum sacerdoti qui potestate absolvendi non fruitur, ab illo hujus peccati absolutionem recipit, reservatio tollitur in gratiam pœnitentis, validaque declaratur absolutio.

Statuitur in hac materia Decretum a congregatione *de decretis* præparari.

Quadrante ante meridiem discedunt Patres.

*Sexta Congregatio privata.*

Hora secunda post meridiem, feria tertia, die decima nona Augusti conveniunt Patres, exceptis Rmis. Carolinopolitano et Terræ-Novæ Episcopis.

Novo subjiciuntur examini quæ sequuntur decreta prius congregationi *de decretis* submissa :

- 1.—*De Rituali ;*
- 2.—*De Cœremoniali ;*
- 3.—*De Catechismo ;*

Quibus mature pensis definitivus illorum decretorum contextus admittitur, juxta quem in proxima sessione proclamanda sunt.

Hora tertia discedunt Patres.

*Quarta Congregatio generalis.*

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria tertia, die decima nona Augusti, hora tertia post meridiem, conveniunt Patres, in loco solito, cum theologis et officariis Concilii ad quartam Congregationem generalem habendam.

Leguntur acta congregationis generalis tertiæ.

Continuatur et finitur discussio partis relationis

*de disciplina* quæ sacerdotum jurisdictionem spectat.

Legitur sed non discutitur prima relatio congregationis *de doctrina* quoad adoptionem catechismi, lingua anglica editi sub nomine *Butler*.

Legitur et discutitur secunda relatio congregationis *de studiis*, quoad studia juniorum professorum in collegiis, examen a junioribus sacerdotibus subeundum, et obligationem ab eis concionum conficiendarum et exhibendarum, educationem clericorum juxta Concilium Tridentinum, collationes ecclesiasticas.

Legitur et discutitur etiam pars secunda relationis *de liturgia* quæ spectat ad additionem novorum officiorum in Breviario, suppressionem quarumdam solemnitatum et modum conservatas celebrandi.

Leguntur tandem decreta *de Rituali, de Cæremionali et de catechismo*, jam in sexta congregatione privata approbata.

Hora quinta cum dimidia, post orationem factam, discedunt Patres.

#### *Septima Congregatio privata.*

Hora nona ante meridiem, feria quarta, die vigesima Augusti, conveniunt Patres, exceptis Reverendissimis Carolinopolitano et Terræ-Novæ Episcopis.

Leguntur et admittuntur acta sextæ congregationis privatæ et quartæ congregationis generalis.

Discutiuntur theologorum sententiæ circa decretum *de jurisdictione sacerdotum* et jubetur dictum decretum ad congregationem *de decretis* mitti formulandum sicut emendatum.

Legitur et discutitur decretum *de famulabus sacerdotum* et ad congregationem *de decretis* refertur.

Examini Patrum subjicitur decretum *de obedientia Summo Pontifici* et definitivus illius contextus admittitur proclamandus in sessione proxima.

Quadrante ante meridiem discedant Patres.

#### *Octava Congregatio privata.*

Hora tertia post meridiem, feria quarta, die vigesima Augusti, adsunt omnes Patres, exceptis Rmis. Carolinopolitano et Terræ-Novæ Episcopis.

Legitur relatio præcedentis congregationis.

Examinatis a Patribus duobus decretis quæ sequuntur scilicet :

- 1.—*De casibus reservatis ;*
- 2.—*De scholis mixtis ;*

Definitive eorum contextus ab eis approbatur et eorum proclamatio in sessione proxima jubetur haberi.

Hora quinta discedunt Patres.

#### *Quinta Congregatio generalis.*

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo feria quarta, die vigesima Augusti, hora quinta post meridiem, conveniunt Patres in loco solito, cum theologis et officiariis Concilii ad quintam congregationem generalem habendam.

Sequitur relatio præcedentis congregationis generalis.

Leguntur et discutiuntur :

- 1.—Secunda relatio congregationis *de disciplina*

*quoad incorporationem presbyterorum extraneorum et relationes a parochis Episcopo faciendas ;*

2.—Prima relatio congregationis *de doctrina* de quibusdam mutandis in novo Catechismo ad usum provinciae ecclesiasticae edendo.

Discussio ultimae relationis continuabitur in ulteriore congregatione.

Leguntur decreta :

1.—*De obedientia Summo Pontifici ;*

2.—*De scholis mixtis ;*

3.—*De casibus reservatis ;*

quae in sessione die sequenti habenda proclamanda sunt.

Quadrante post sextam horam, emissa oratione, recedunt Patres.

---

*Sessio secunda.*

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria quinta, die vigesima prima Augusti, habita est eodem ordine et apparatu quo prima, secunda Sessio Concilii Provincialis Quebecensis, cui interfuere, cum Rmis. Concilii Patribus, omnes theologi et officarii qui Sessioni primae aderant.

Missa a Reverendissimo Episcopo Carrhensi celebrata, cantatur antiphona *Propitius esto* etc., et psalmus *Deus, venerunt gentes*, etc., et, repetita dicta antiphona, recitantur orationes, evangelium et hymnus in Caeremoniali Concilii provincialis praescripta, juxta Pontificale Romanum, pro secunda sessione Concilii Provincialis.

Tunc sacra concio, anglo idiomate, fit a Reverendissimo Episcopo Terræ-Novæ.

Quibus peractis, in medium procedunt Promotores Concilii, et postulant ut decreta, in proximis congregationibus sancita et communi Patrum consensu approbata, edicantur et promulgentur.

Tum Secretarii, ritu assueto, quæ sequuntur decreta proclamant :

- 1.—*De obedientia Summo Pontifici ;*
- 2.—*De Catechismo ;*
- 3.—*De Rituali ;*
- 4.—*De Cæremoniali ;*
- 5.—*De scholis mixtis ;*
- 6.—*De casibus reservatis.*

Post proclamationem cujusque decreti, Secretarii, modo præscripto, colligunt suffragia Patrum qui responderunt omnes : *Placet.*

Postea instantibus Concilii Promotoribus indicitur tertia et ultima Sessio pro feria quinta sequentis hebdomadæ, quæ erit dies vigesima octava ejusdem mensis Augusti, nisi pro rebus Concilii bene gerendis, ad alium diem transferenda videatur.

Demum a Reverendissimo Archiepiscopo datur benedictio solemniter et, publicata quadraginta dierum indulgentia, ad domum archiepiscopalem recedunt omnes.

#### *Sexta Congregatio generalis.*

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria quinta, die vigesima prima Augusti, tertia hora cum dimidia post meridiem, habita

est, loco solito, sexta congregatio generalis, cui interfuere omnes Patres Concilii (exceptis Reverendissimis Carolinopolitano et Terræ-Novæ Episcopis) cum theologis et officiariis.

Leguntur acta præcedentis congregationis generalis.

Discutitur de novo prima relatio congregationis *de doctrina*.

Leguntur et discutiuntur :

1.—Secunda relatio ejusdem congregationis super modum coordinandi materias quibus conficiendus est catechismus ;

2.—Tertia relatio congregationis *de studiis* circa :

I. Scholas utriusque sexus mixtas ;

II. Scholas a monialibus moderatas ;

III. Programma studiorum in dictis scholis servandura.

Quadrante ante sextam horam, facta oratione, omnes discedunt.

#### *Nona Congregatio privata.*

Hora nona cum dimidia ante meridiem, feria sexta, die vigesima secunda Augusti, adsunt omnes Patres, exceptis tamen Reverendissimis Carolinopolitano et et Terræ-Novæ Episcopis qui definitive civitatem, negotiorum causa, die præcedenti reliquerunt.

Leguntur acta octavæ Congregationis privatæ, sessionis secundæ et sextæ congregationis generalis, a Patribusque admittuntur.

Discutitur secunda relatio congregationis *de liturgia*

circa nova Sanctorum Officia Breviario et Missali addenda, et jubetur decretum in hac materia a congregatione *de decretis* præparari.

Quadrante ante meridiem discedunt Patres.

*Decima Congregatio privata.*

Eadem die, hora tertia post meridiem, conveniunt Patres.

Approbatur relatio præcedentis congregationis.

Discutiuntur sententiæ theologorum circa :

1.—Catecheses faciendas et præparationem ad primam Communionem ;

2.—Relationes a parochis Episcopo faciendas ;

3.—Incorporationem sacerdotum extraneorum.

Jubetur decreta, in his supra dictis subjectis, a congregatione *de decretis* formulari.

Quinta hora Patres recedunt.

*Septima Congregatio generalis.*

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria sexta, die vigesima secunda Augusti, quinta hora post meridiem, incipit, loco solito, septima Congregatio generalis cui interfuere Patres Concilii cum theologis, canonistis et officiariis.

Fit relatio actuum congregationis generalis præcedentis.

Legitur et discutitur tertia relatio congregationis *de disciplina*, circa appendicem Rituali Provinciali addendam.

Legitur relatio tertia congregationis *de liturgia*, de

cantu et musica in Ecclesiis, et inchoatur ejusdem relationis discussio.

Sexta hora, discedunt omnes, post orationem factam.

*Undecima Congregatio privata.*

Sabbato, die vigesima tertia Augusti, tertia hora post meridiem, conveniunt omnes Patres Concilii.

Leguntur et probantur relationes decimæ congregationis privatæ et septimæ congregationis generalis præcedentium.

De facultatibus a S. Sede obtinendis pro præsulibus provinciæ ecclesiasticæ agitur inter Patres, et summa harum facultatum admittitur pro majori parte.

*Octava Congregatio generalis.*

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, sabbato, die vigesima tertia Augusti, quarta hora cum dimidia post meridiem, habita est octava congregatio generalis, cui interfuerunt Patres et omnes theologi et officarii Concilii.

Legitur relatio præcedentis congregationis generalis.

Continuatur et finitur discussio tertiæ relationis congregationis *de liturgia*, de cantu et musica in Ecclesiis.

Discutitur etiam quarta relatio congregationis *de disciplina* quoad famulas a parochis in eorum domus admittendas.

Sexta hora, discedunt omnes.

*Duodecima Congregatio privata.*

Die dominica, vigesima quarta Augusti, hora septima cum dimidia ante meridiem, conveniunt Patres.

Leguntur et admittuntur acta congregationis privatae et congregationis generalis praecedentium.

De facultatibus a S. Sede obtinendis pro praesulibus provinciae ecclesiae de novo agitur inter Patres, et summa earumdem finaliter admittitur.

Discutiuntur sententiae theologorum circa :

- 1.—Nova Officia Sanctorum Calendario addenda ;
- 2.—Modum celebrandi quasdam Sanctorum festivitates ;

Et instruitur congregatio *de decretis* decreta praeparare in his duobus subjectis.

Hora nona discedunt Patres.

*Nona Congregatio generalis.*

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, die dominica, vigesima quarta Augusti, quarta hora post meridiem, interfuerunt Patres, loco solito, cum theologis et officiariis, ad habendam nomam congregationem generalem.

Fit relatio praecedentis congregationis generalis.

Continuatur discussio quoad aetatem famularum, necnon, parentum feminei sexus quae in domibus presbyterorum degere possunt.

*Decima tertia Congregatio privata.*

Hora nona cum dimidia ante meridiem, feria secunda, die vigesima quinta Augusti, adsunt omnes Patres.

Leguntur et admittuntur acta congregationis privatae et congregationis generalis praecedentium.

Examirantur a Patribus decreta quae sequuntur :

1.—*De catechesibus, sive ante, sive post primam communionem faciendis ;*

2.—*De solemnitatibus ;*

3.—*De Breviario ac Missali ;*

4.—*De relationibus a parochis Episcopo faciendis ;*

5.—*De incorporatione presbyterorum extraneorum.*

Definitivè eorum contextus a Patribus approbatur et eorum proclamatio in tertia et ultima sessione jubetur haberi.

Admittitur forma supplicationis ad S. Sedem mittendae quoad nova officia Breviario et Missali addenda.

Quadrante ante meridiem discedunt Patres.

#### *Decima quarta Congregatio privata.*

Hora tertia post meridiem, die vigesima quinta Augusti, conveniunt Patres.

Legitur et admittitur relatio actorum congregationis privatae praecedentis.

Ab Illmo. et Rmo. Archiepiscopo de consensu aliorum Patrum, Reverendo Josepho Sabino Raymond, uni ex theologis a Rmo. Episcopo Martyropolitano adducto, licentia datur, valetudinis causa, a Concilio exeundi et ad propria revertendi.

Statuitur decreta de materiis quae sequuntur a congregatione *de decretis* formulanda :

1.—De examine a sacerdotibus per quatuor annos

post ordinationem subeundo et de concionibus ab eisdem Ordinario exhibendis;

2.—De collationibus instituendis.

Quæstio circa *Societates secretas* congregationi de *disciplina* submittitur.

Hora quarta discedunt Patres.

*Decima Congregatio generalis.*

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria secunda, die vigesima quinta Augusti, hora quarta post meridiem, conveniunt Patres in loco solito, cum omnibus theologis et officariis Concilii, præter Reverendum Josephum Sabinum Raymond cui licentia exeundi data fuit.

Legitur relatio præcedentis congregationis generalis.

Leguntur :

1.—Quarta relatio congregationis *de studiis* circa studia in Collegiis, necnon et in Seminariis ;

2.—Quinta relatio congregationis *de disciplina* circa diversas quæstiones in appendice Ritualis provincialis tractandas ;

3.—Sexta relatio ejusdem congregationis circa salutationes, spectacula et quasdam alias quæstiones ipsi Patribus submissas.

Leguntur decreta :

1.—*De relationibus faciendis Episcopo a parochis ;*

2.—*De incorporatione presbyterorum extraneorum ;*

3.—*De solemnitatibus ;*

quæ decreta in ultima sessione Concilii proclamanda sunt.

Hora quinta, facta oratione, recedunt omnes.

*Decima quinta Congregatio privata.*

Hora decima ante meridiem, die vigesima sexta Augusti, omnes Concilii Patres, excepto Rmo. Episcopo Martyropolitano, conveniunt, post Missam solemniter celebratam ab Illmo. ac Rmo. DD. Archiepiscopo pro defunctis Provinciæ Quebecensis Episcopis, qui in Domino mortui sunt.

Leguntur acta congregationis privatæ et congregationis generalis præcedentium, et approbantur a Patribus.

Discutiuntur sententiæ theologorum circa :

1.—Ætatem et qualificationem famularum quas presbyteri in suis domibus habere possunt ;

2.—Cantum et musicam in Ecclesiis.

Statuitur decreta in utraque materia a congregatione *de decretis* præparari.

Quadrante ante meridiem discedunt Patres.

*Undecima Congregatio generalis.*

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria tertia, die vigesima sexta Augusti, hora tertiâ post meridiem, conveniunt Patres in loco solito, cum officariis et theologis Concilii.

Fit relatio præcedentis congregationis generalis.

Legitur et discutitur septima relatio congregationis *de disciplina* circa Societates secretas.

Discutitur etiam sexta relatio ejusdem congregationis in præcedenti congregatione lecta circa saltationes,

spectacula et quasdam quæstiones maximi momenti ab Episcopis submissas.

Legitur tertia relatio congregationis *de doctrina* de publicatione decreti *Tametsi* Concilii Tridentini.

Hora quinta cum dimidia, facta oratione, discedunt omnes.

*Decima sexta Congregatio privata.*

Eadem die, hora octava cum dimidia post meridiem, conveniunt Patres.

Leguntur et admittuntur acta duarum præcedentium congregationum.

Reverendissimus Episcopus Kingstoniensis notum facit cæteris Concilii Patribus quod, ob malefactam valetudinem, et menti S. Sedis Apostolicæ obtemperare cupiens, libenter et voluntariè suæ diocesis administrationi renuntiat in gratiam Rmi. Carrhensis Episcopi, sui Coadjutoris. Quoddam instrumentum ad hoc præparatum manu propria subsignat, una cum suis Venerabilibus Collegis. Subsignat quoque litteras quibus Summum Pontificem certiolem facit de sua agendi ratione, in his circumstantiis.

Decima hora recedunt Patres.

*Decima septima Congregatio privata.*

Hora nona cum dimidia ante meridiem, feria quarta, die vigesima septima Augusti, conveniunt Patres.

Leguntur et approbantur acta trium præcedentium congregationum.

Leguntur decreta :

1.—*De Societatibus secretis ;*

2.—*De publicatione decretorum Concilii Provincialis ;*

3.—*De indictione futuri Concilii ;*

4.—*De celebratione Synodi diœcesanæ ;*

5.—*De promulgatione testium synodaliū ;*

quæ decreta a Patribus approbata proclamanda sunt in tertia et ultima sessione Concilii.

Hora duodecima recedunt Patres.

*Decima octava Congregatio privata.*

Eadem die, hora secunda cum dimidia post meridiem, conveniunt Patres.

Statuitur quod clerus Kingstoniensis certior fiat, nomine Concilii, de renuntiatione a Rmo. Præsule suo administrationi suæ diœcesis in gratiam Rmi. Episcopi Carrhensis, Coadjutoris ejus.

Legitur et discutitur decretum *de invocatione et veneratione Beatissimæ Mariæ Virginis*, et post emendationem jubetur proclamari in sessione proxima generali.

Hora tertia cum dimidio discedunt Patres.

*Duodecima et ultima Congregatio generalis.*

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, feria quarta, die vigesima septima Augusti, hora tertia cum dimidia post meridiem, adsunt Patres in loco solito cum omnibus theologis et officariis Concilii.

Fit relatio præcedentis congregationis generalis.

Legitur relatio quinta congregationis *de studiis* quoad libella publica (*journaux*) ad defensionem religionis, gallico et anglico idiomatibus, jam in hac provincia instituta.

Leguntur quæ sequuntur decreta in ultima sessione generali proclamanda :

1.—*De catechesibus sive ante, sive post primam communionem faciendis ;*

2.—*De famulabus sacerdotum ;*

3.—*De cantu et musica in Ecclesiis ;*

4.—*De studiis pro sacerdotibus recens ordinatis, collationibusque ecclesiasticis ;*

5.—*De societatibus secretis ;*

6.—*De promulgatione testium synodaliū ;*

7.—*De indictione futuri Concilii provincialis ;*

8.—*De celebratione Synodi diœcesanæ ;*

9.—*De publicatione decretorum hujus Concilii provincialis ;*

10.—*De invocatione et veneratione B. M. V.*

Pro crastina die denuntiatur tertia et ultima Sessio, hora octava ante meridiem incipienda.

Tandem Illmus. ac Rmus. DD. Archiepiscopus, nomine Patrum Concilii gratias egit omnibus theologis, canonistis et officariis, pro zelo et experientia quibus Concilium adjuverunt.

Hora quinta, facta oratione, omnes discedunt.

*Decima nona et ultima Congregatio privata.*

Eadem die, hora octava cum dimidia post meridiem, adsunt omnes Patres.

Leguntur et approbantur acta duarum præcedentium congregationum.

Statuerunt Patres opportunum esse novas diœceses erigi, quarum una efformata foret ex Districtu Trifluviaensi et parte Districtus Inferioris S. Francisci, al-

tera ex territorio inter S. Francisci et *Richelieu* amnes incluso, de quarum erectione sicut et de promotione Episcoporum postulatio ad Apostolicam Sedem postea et tempore opportuno facienda erit.

Munus edendi Rituale et catechismum ad usum Provinciæ attribuitur Rmo. Episcopo Tloanensi, cui adjuutores erunt Reverendi J. B. A. Ferland et P. H. Harkin, domus archiepiscopalis presbyteri, J. F. Aubry, Seminarii Quebecensis presbyter, et L. Saché, Superior Societatis Jesu in Quebecensi diœcesi.

Generalis ordo decretorum statuitur et die sequenti, in ultima sessione, habebitur proclamatio eorum decretorum quæ nondum publicata sunt.

Statuitur quoque quod omnia decreta in duplici codice scripta, a singulis Patribus, propria manu subscribantur, quorum unus ad Summum Pontificem transmittetur, et alter in Camera Archiepiscopali, cum actis Concilii servabitur.

Tandem Rmus. Martyropolitani Episcopus eligitur ut Romam adeat, Summi Pontificis approbationi decreta et acta dicti Concilii submissurus.

Hora decima, recedunt Patres.

*Sessio tertia et ultima.*

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, die vigesima octava Augusti, feria quinta, habita est in Ecclesia Metropolitana, eodem ordine et apparatu quibus præcedentes, tertia et ultima sessio Concilii Provincialis Quebecensis, cui interfuerunt om-

nes Patres cum theologis et officiariis Concilii, coram magno cleri populi que concursu.

Post Missam ab Illustrissimo et Rmo. Archiepiscopo celebratam, cantantur Psalmus : *Salvum me fac, Deus* etc., cum antiphona et orationibus præscriptis ; evangelium secundum Matthæum : *Dixit Jesus discipulis suis : si peccaverit in te frater tuus, et hymnus Veni Creator.*

Sacra concio ad populum a Reverendissimo Marianopolitanensi Episcopo facta est.

Postea requirunt promotores decretorum quæ in præcedenti sessione sancita sunt promulgationem, quæ leguntur a Secretariis ordine sequenti :

- 1.—*De Breviario ac Missali.*
- 2.—*De' solemnitatibus.*
- 3.—*De cantu et musica in ecclesiis.*
- 4.—*De catechesibus sive ante, sive post primam Communionem faciendis.*
- 5.—*De studiis pro sacerdotibus recens ordinatis, collationibusque ecclesiasticis.*
- 6.—*De famulabus sacerdotum.*
- 7.—*De incorporatione presbyterorum extraneorum.*
- 8.—*De societatibus secretis.*
- 9.—*De celebratione Synodi diocesanæ.*
- 10.—*De publicatione decretorum hujus Concilii Provincialis.*
- 11.—*De invocatione et veneratione Beatissimæ Mariæ Virginis.*

Post promulgationem hujus ultimi decreti facta est solemniter, omnibus genuflexis, consecratio Dei Sal-

vatoris Matri omnis Provinciæ Quebecensis, et cantatur *Magnificat*.

Postulantibus deinde Concilii Promotoribus, publicatur decretum *de promulgatione testium synodalium*, et, iisdem instantibus, *decretum subscriptionis*, ad finem cujus a Secretario proclamantur nomina singulorum Patrum Concilii, qui respondent *Adsum*.

Tunc Rmus. Archiepiscopus surgens cum mitra accedit ad altare et codicem decretorum superpositum propria manu, subsignat; quod fit eodem modo a cæteris Concilii Patribus.

His peractis edicuntur a Patribus, ritu assueto, *indictio proximi Concilii Provincialis*, necnon, post instantiam, a promotoribus factam, decretum finis Concilii, quod decretum, sicut omnia cætera superius memorata, approbatur a Patribus, modo ordinario, per verbum *Placet*.

Tum Rmus. Archiepiscopus, assentientibus Patribus, decernit Concilium absolutum esse.

Quo facto, brevi allocutione a Rmo. Archiepiscopo pronuntiata, hymnus *Te Deum* cantatur, et Secretarii, stantibus omnibus, solemnes, ut in Pontificali leguntur, acclamationes pronuntiant, quibus respondent Patres solemni voce.

Beatissimo Domino nostro Pio Papæ IX, sanctæ et universalis Ecclesiæ Pontifici, benedictio Dei omnipotentis; Christiani nominis in omnes terrarum regiones propagatio, cunctarum gentium obedientia et in unum ovile adunatio.

R. Benedictio super illum, diuturna prosperitas, sanctæ Dei Ecclesiæ exaltatio.

Reverendissimum Dominum hujus Provinciæ Metropolitanum, et in hoc Concilio præidentem, rore gratiæ suæ perfundat Deus, et ad gloriam æternam reservet.

R. Rore gratiæ suæ perfundat eum Deus, ad gloriam æternam conservet.

Reverendissimos Episcopos, quos Spiritus Sanctus in hac Synodo congregavit ad gloriam et utilitatem Provinciæ nostræ, ad Ecclesias suas feliciter reducat incolumes, et ad multos annos conservet.

R. Incolumes reducat, et ad multos annos conservet.

Omnibus in hoc Concilio congregatis, pax vera et copiosa benedictio.

R. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.

Patriæ nostræ, et omnibus populis Christianis Catholicæ religionis zelus, justitia, et pacis fecunditas, et contra Christianæ fidei hostes victoria.

R. Zelus fidei, justitia, pax et victoria.

Civitati et Provinciæ Quebecensi tranquillitas, salus, et divinarum gratiarum abundantia.

R. Gratia nobis et tranquillitas multiplicetur.

Decretorum hujus Concilii observantiam salutarem, omnes qui adsumus unanimi voto a Deo honorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente beatissima Dei genitrice Virgine Maria, cum beatis Apostolis Petro et Paulo, beatis hujus Provinciæ Patronis, et omnibus Sanctis.

R. Fiat, fiat : Amen, amen.

Tunc cum mitra stans Reverendissimus Archiepiscopus singulis Concilii Patribus osculum pacis porrigit, et ab eis vicissim accipit.

Solemnis postea benedictio omnibus impertitur a Rmo. Archiepiscopo ; quadraginta dierum indulgentia astantibus annuntiatur ; cantat Diaconus : *Recedamus cum pace* ; respondent omnes *In nomine Christi*, et redeunt processionaliter ad domum archiepiscopalem, una hora cum dimidia post meridiem.

Approbatum et admissum a Patribus.

C. F. CAZEAU, P.  
*Secretarius.*

J. O. PARE, Can :  
*Vice-Secretarius.*

---

§ II.

DECRETA

PRIMI CONCILII PROVINCIALIS QUEBECENSIS.

1. *Decretum de aperienda Synodo.*

In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos, Petrus Flavianus Turgeon, Ecclesiæ Metropolitanæ Quebecensis Archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei, Patri consubstantialis, qui, pro nobis caro factus, unus est Dei et hominum mediator, et auctor salutis nostræ ; sub tutela et præsidio Matris ejus B.

Mariæ Virginis, Sancti Petri Apostolorum principis, Sanctorum quorum patrocinio nostræ Ecclesiæ cathedralis et diœceses muniuntur, atque omnium Sanctorum, statuimus ac decernimus, de consilio ac consensu Rmorum. Episcoporum nostrorum comprovincialium, hac ipsa die decima quinta Augusti inchoari atque adeo inchoatum esse Concilium Provinciale, quod nostra metropolitana auctoritate indiximus et convocavimus; Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum humiliter deprecantes ut quod cœpit ipse perficiat ac quæcumque ad nostram clerique et populi ædificationem stabilienda recognovimus, ab omnibus et singulis, Deo adjuvante, observentur.

2. *Decretum de modo vivendi in Concilio.*

Hæc Synodus provincialis, a B. Apostolo edocta quod *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*, qui eis qui postulant a se sapientiam dat omnibus affluenter, statuit omnes Christifideles hujusce civitatis Quebecensis quorum sicut et totius provinciæ gratia celebratur, exhortandos esse, prout hortatur, ut se a peccatis hactenus commissis emendare, ac de cœtero in timore Domini ambulare, piis operibus instare, ad Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ frequentius accedere, et quotidie pro Episcopis et sacerdotibus hic legitimè congregatis instanter orare velint; eosdem vero Episcopos et sacerdotes ut assidue incumbant in laudibus Dei, atque singulis diebus, in quantum fieri poterit, Sanctissimum Missæ Sacrificium peragant, aut saltem mysteriorum

celebrationi devotè intersint, facientes obsecrationes, orationes et postulationes pro Ecclesia Sancta Dei, pro SSmo. Patre Nostro Pio Papa IX., pro Regina nostra, pro gubernatoribus et cæteris qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut tranquillam et quietam vitam agamus, pace fruamur et fidei augmentum videamus. Præterea hortatur illos ut jejument singulis sextis feriis, in memoriam Passionis Domini, omnibusque diebus mensa frugali utantur.

Et, quoniam oportet Episcopos irreprehensibiles esse, hortatur etiam illos et obsecratur in Domino ut otiosas sermocinationes sedulo devitent, vitæ innocentia et integritate, fide, religione et pietate omniumque virtutum ornamento præfulgeant, ita ut in omnibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros Dei mysteriorum.

Cum autem Synodi provincialis scopus est, ut Sacra Conciliorum Summorumque Pontificum decreta renoventur et custodiantur, illos monet summopere ipsis curandum esse ut ea accurate referantur, adjectis quibusdam, si opus est, explicationibus; ita tamen ut non recedatur unquam a mente Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, ceterarum Ecclesiarum matris ac magistræ.

In sententiis vero dicendis nullus audeat aut immodicis verbis perstreperere, aut tumultibus perturbare, variisve et obstinatis disceptationibus contendere; sed omnes ad gloriam Dei et animarum saluti unice conspirantes, cum modestia et animi lenitate, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportunè servato ordine, proferant opiniones, in actionibus tam privatis quam

publicis; ac ita quidquid dixerint, miti verborum prolatione temperent, ut nec audientes offendantur, nec recta iudicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper ipsa Synodus decernit ac declarat quod si fortè contigerit aliquos debito in loco non sedere, sive in sessionibus, sive in congregationibus, nulli propterea præiudicium generetur, nullique novum jus acquiratur. (*Conc. Trid.* 16. 2.) In qualicumque enim ordine quisque compareat et sedeat, jura illius salva esse vult Synodus.

Demum universis qui jure vocati ad hoc Concilium provinciale convenerunt, in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ne antequam dimissum fuerit, discedere præsumant, nisi ob rationabilem causam, facultateque petita et obtenta a Patribus; et insuper eos omnes hortatur ut diurnum vivendi ordinem, in prima congregatione generali promulgatum et statutum, fideliter exequantur.

### 3. *Decretum de professione fidei.*

Cum fides initium sit et fundamentum salutis, atque inter omnes pastoralis officii sollicitudines, illa potissimum prima esse debeat, ut fides catholica, quam Sancta Romana Ecclesia tenet et colit, incorrumpita in hac provincia integraque permaneat, et omnes illam puram illibatamque custodiant; nos in hac synodo provinciali hinc præcipuè exordium duximus ut eandem sanctam et catholicam fidem quam corde credimus una oris confessione profiteamur. Quocirca sacrosancti œcumenici Concilii Tridentini decretis inhæ-

rentes, professionem fidei a Pio IV. Pontifice Maximo præscriptam libenter hic palam solemniter præstamus, eamque fideles edoceri statuimus.

*Forma juramenti.*

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et in unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ

observationes, et constitutiones firmissimè admitto et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto : nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè et propriè sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet : Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unionem, Ordinem et Matrimonium ; illaque gratiam conferre ; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum solemnè administratione recipio et admitto : omnia et singula quæ de peccato originali et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synode definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis ; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque

integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnino a sacris Canonibus et Œcumenicis Conciliis, ac præcipuè a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentì spontè profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari,

quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

I.—*Decretum de obedientia Summo Pontifici.*

Ut inter tot et tanta errorum pericula, non simus sicut parvuli fluctuantes, et non circumferamur omnivento doctrinæ, totis præcordiis amplectimur Sanctam Ecclesiam Catholicam, quæ est columna et firmamentum veritatis, et contra quam portæ inferi non prævalent.

Et quoniam Christus ipse super Petrum ejusque successores suam ædificavit Ecclesiam, profiteamur, cum sancto œcumenico Concilio Florentino, Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Conciliorum œcumenicorum et in sacris Canonibus continetur. Insuper agnoscentes cum Sancto Iræneo "*Romanam Ecclesiam eam esse ad quam oportet omnes Ecclesias convenire propter potestatem ejus principalitatem*" (contra hæres. lib. 3. cap. 3.) et fidem Petri, "*qui in propria sede vivit et præsidet, et præstat quærentibus veritatem,*" (S. Petri Chrysol. Epist. ad Eutychem.) nunquam defecisse, nec in finem defecturam esse; in omnibus

sequimur "Sedem Apostolicam in qua est integra et vera christianæ religionis perfecta soliditas," (*Formul. Hormisd. orientalibus.*) Itaque toto animo adhæremus omnibus et singulis apostolicis constitutionibus dogmaticis, uti et illis quæ universalem Ecclesiæ disciplinam respiciunt; atque declaramus et docemus eas ab omnibus christifidelibus tenendas esse, velut credendorum normam, et conscientiæ regulam independentem prorsus ab omni potestatis sæcularis sanctione.

Propterea sacerdotes et omnes fideles sæpius monitos volumus ut omni quidem tempore, sed potissimum quando Ecclesia gravioribus quassatur tempestatibus, oculos convertant ad hanc Cathedram Petri, "qui est petra et crepido Cathol. æ Ecclesiæ, et rectæ fidei fundamentum," (*Concil. Calc.*) unde unitatis vigor per totum Ecclesiæ corpus diffunditur.

## II.—*Decretum de Breviario ac Missali.*

Juxta Constitutionem s. memoriæ Pii V., qui Breviaria et Missalia, in usum Ecclesiarum romani ritus, ad mentem Concilii Tridentini emendatius edendo, abolevit quæcumque alia vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Episcopis in suis diocesis pervulgata, nisi dioceses a bis centum saltem annis uti consuevissent breviario aut missali ab illis diverso; statuimus breviarium et missale romanum, jam olim in Ecclesia Quebecensi recepta, ab omnibus nostræ provinciæ Ecclesiis servanda, additis officiis jam concessis et postea concedendis a S. Sede pro hac provincia; salvis tamen religiosorum privilegiis. Hæc autem

sunt officia quorum concessionem aut ritum altio-  
rem a Sancta Sede hæc Synodus humiliter ex-  
postulat :

Desponsatio B. M. V. dupl. maj. Januarii 23.

S. Polycarpi Ep. et m. dupl. " 26.

S. Ignatii Ep. et mart. dupl. Februarii 1.

Orationis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom.  
Septuagesimæ.

Commem. Passionis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6.  
post Dom. Sexagesimæ.

SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C. dupl. maj. feria 6.  
post Dom. Quinquagesimæ.

SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. dupl. maj. fe-  
ria 6. post Dom. 1. Quadragesimæ.

SS. Sindonis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom.  
2. Quadragesimæ.

SS. quinque Vulnerum D. N. J. C. dupl. maj. feria 6.  
post Dom. 3. Quadragesimæ.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. maj. feria  
6. post Dom. 4. Quadragesimæ.

S. Patritii ep. et conf. dupl. maj. Martii 17.

S. Joseph sponsi B. M. V. dupl. 1 cl. " 19.

S. Joannis Nepomuceni, conf. dupl. Maii 22.

B. M. V. Auxiliatricis dupl. maj. " 24.

S. Rochi conf. dupl. Junii 17.

Purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj. Dom. post oc-  
tavam Assumptionis.

Maternitatis B. M. V. dupl. maj. Dom. 2. Octobris.

Puritatis B. M. V. dupl. maj. Dom. 3. Octobris.

Patrocinii B. M. V. dupl. maj. Dom. 4. Octobris.

S. Stanislai Kostkæ, conf. dupl. Novembris 16.

S. Thomæ Cantuariensis Ep. et martyris. dupl. Decembris 29.

|                                |                                                                                 |
|--------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------|
| Officium SS. Sacramenti        | } dummodo non sint im-                                                          |
| semid.omnibus feriis quintis ; |                                                                                 |
| Officium Conceptionis B.       |                                                                                 |
| M. V. semid. singulis sab-     |                                                                                 |
| batis ;                        | } pedita juxta decreta<br>S. R. C. Martii. 20.<br>1706., et 15. Martii<br>1804. |

### III.—*De rituali.*

Quoniam summoperè optandum ac curandum est, ut in nostra provincia ecclesiastica eadem liturgia servetur, quæ una sit cum Romana Liturgia, ut, juxta Apostolum, id ipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata, sed simus omnes perfecti et in eadem sententia, idque non modo quoad fidei dogmata, sed etiam quoad ritus, preces et cœremonias tum in divino officio peragendo, tum in Sacramentis administrandis servanda, Concilium decernit Rituale Romanum servandum esse in tota hac provincia, adjectis in appendice quæ ad ædificationem fidelium, necnon et ad pastorum instructionem conducere visa fuerint, quod, priusquam edatur cum dicta appendice, S. Sedis approbationi subjicietur. Ne autem peculiare ritus cujusque arbitrio inducantur, districtè vetamus ne sacerdotes a forma sibi in Rituali præscripta, consuetudinis obtentu, vel alio quocumque prætextu, discedant.

### IV.—*De cœremoniali.*

Edatur quoque quamprimum liber cœremoniarum ex probatissimis operibus desumptus, Cœremoniali Episcoporum, Pontificali, Missali, ac Rituali Romano

omnino conformis (S. Sedis iudicio subjiendus); ut sacerdotes clericique omnes per hanc provinciam ritus Ecclesiæ universalis accuratè calleant religiosèque servant.

V.—*De casibus reservatis.*

“ Magnoperè ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctis patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina, non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolvantur. ”

Huic ergo auctoritati Tridentinæ Synodi inhærentes, præter casus Summo Pontifici reservatos, sequentes casus nobis reservamus, nempe peccata eorum :

1.—Qui publicè et notoriè in concubinato vivunt ;

2.—Qui scienter domos suas meretricibus publicè notis locant.

Ne quis tamen pereat, occasione reservationis, absolutionem pœnitenti bonæ fidei a sacerdote, jure absolventi a casibus reservatis non gaudente, collatam validam esse declaramus. Excipiendus est tamen *complicis* casus.

VI.—*De solemnitatibus.*

Placuit ut, de licentia S. Sedis, cæteris solemnitatibus festorum quæ ad dominicam diem remittuntur suppressis, sequentes tantum servantur atque celebrentur, juxta modum a S. Sede jam concessum pro solemnitate Assumptionis, translata ad dominicam, scilicet :

Purificationis B. M. V ;

S. Joseph ;

S. Joannis Baptistæ ;  
 Assumptionis B. M. V ;  
 Nativitatis ejusdem ;  
 S. Michaelis Archangeli ;  
 S. Patroni vel titularis ecclesiarum pa-  
 rochialium.

VII.—*De cantu et musica in Ecclesiis.*

Quæ in Ecclesiis cantanda sunt ,ad divinum cultum promovendum, fovendamque fidelium devotionem tantummodo inservire debent : caveant igitur parochi, ne musica levis vel indecora, theatrumque redolens, a divina contemplatione fideles avertat. Curent pastores ut cantus gregorianus, utpotè Ecclesiæ proprius, majestatique divini cultus sua gravitate multo conformior, in missa solemnè, necnon in vesperis, primas partes obtineat. Invigilent autem diligenter ne cantus exponatur contemptui, modo quo executioni mandatur : voces sint unisonæ, nec plus æquo extollantur ; cantus non sit tardior citiorve ; chorusque a peritis in cantu gregoriano regatur : quod vix obtinendum est, nisi studiosa juvenus præ mundana, Ecclesiæ musicam ediscat. Dent igitur operam rectores collegiorum seminariorumque, qui tam admirabili zelo juventuti instituendæ se devovent, ut cantum gregorianum alumni apprimè edoceantur.

VIII.—*De catechismo.*

Quum uniformitas, etiam in modo doctrinæ christi-  
 næ tradendæ, maxime optanda sit, decernimus ut ca-

techismus, gallico sermone scriptus, atque a Concilio Provinciali approbatus, edatur in usum Christifidelium qui hoc idiomate utuntur : catechismus vero, auctore *Butler*, anglico sermone exaratus, utpote ab Hiberniæ episcopis approbatus, et jamdudum in nostra regione vulgatissimus, pro omnibus Christi fidelibus anglicè loquentibus usu servetur.

IX.—*De catechesibus, sive ante, sive post primam communionem faciendis.*

Singulis diebus dominicis, integro anni cursu, quoad possibile sit, in quâque parochiali ecclesia, fiant catecheses, in quibus genuinum catechismi provincialis sensum, simplici sermone, animarum pastores enodabunt.

Curent animarum pastores ut pueri, opportunis instructionibus disponantur ad primam confessionem ; et ut prima vice ad sacram synaxim accessuri, ritè sint parati, atque ad dijudicandum corpus Domini facti fuerint idonei. Idcirco per catecheses non paucas aut obiter factas, sed frequenter repetitas, serio maturèque præparatas instituantur. Quoad autem tempus per quod fieri debent catecheses, ætatemque qua pueri admitti possunt, præscriptiones Rituali adjunctæ adamussim serventur.

Cum autem pueri parentibus ignotis procreati admittendi sunt, sedulo inquiretur an baptizati fuerint ; si quidem prima illorum communio habenda sit postea ut authentica quædam baptismi attestatio.

Pastores animarum operam daturos esse confidimus,

ut catechesibus dominicalibus, saltem per unum annum post susceptam prima vice communionem, pueri adsint, ut melius præcepta Dei et Ecclesiæ ediscant, fusiusque dogmata catholicæ fidei edoceantur.

X.—*De sacerdotibus recens ordinatis, collationibusque ecclesiasticis.*

Sacerdotes non modo virtute sed etiam doctrina pollere debent; labia enim sacerdotis custodiant scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Scientia quidem congrua in Seminariis instruuntur; nullus tamen existimet, ordine presbyteratus suscepto, se studiorum cura jam esse absolutum. Quum enim ad sacrum regimen animarum venit, tunc magis ac magis attendere sibi debet et doctrinæ. Nisi enim novis et ferè quotidianis instet studiis, quæ didicerat brevi a mente elabuntur, et cæcus factus cæcis ducatum præstans, cum eis in foream cadet.

Hisce studiis ut faveat Concilium, decernit ut sacerdotes, recens ordinati, examini supra theologiæ materia prius assignata, coram Episcopo vel ejus delegatis quotannis subeundo, per quadriennium subjiciantur, et, eodem temporis spatio, singulis annis, duas conclusiones scriptas Episcopo suo exhibeant.

Episcopos vero hortatur ut quantum fieri potest, collationes de rebus ecclesiasticis a presbyteris inter se habendas instituant, easque ut benè et ordinatè fiant regulis muniant. A sacerdotibus autem qui hisce collationibus interesse non valebunt exigatur, ut quæs-

tionibus in collationibus discutiendis scripto respondeant.

XI.—*De famulabus sacerdotum.*

Cum mulieribus nullam consuetudinem habeant clerici in sacris ordinibus constituti, nec domi apud se retineant, nisi matrem, sororem aut amitam, neque sibi famulas accipiant vel retineant, nisi provectæ ætatis (juxta receptam sacrorum Canonum interpretationem) et famæ illibatæ, de quibus nulla possit haberi suspicio.

XII.—*De relationibus faciendis Episcopo a Parochis et Missionariis.*

Ut tanto munere pascendi animas et regendi benè fungamur, nemo non videt quanti sit momenti ut *boni instar pastoris* oves nostras cognoscamus, et apprimè nobis innotescat quid in singulis parœciis vel missionibus fovendum sit, quid corrigendum. Qua de causa, relationes, in quibus unusquisque parochus vel missionarius statum morum et religionis in sua parœcia vel missione ordine exposuerit, quotannis ante calendas Septembris, ad nos dirigi jubemus. Quæ relationes, unionem quæ fideles et parochos cum Episcopis devincere debet, confirmabunt.

XIII.—*De incorporatione presbyterorum extraneorum.*

Nullus extraneus sacerdos ut membrum cleri diœcesani admittatur, quin prius, præter licentiam exeundi, exhibuerit litteras commendatitias recens scriptas et a proprio Episcopo subsignatas.

XIV.—*De societatibus secretis.*

Propter gravissimas rationes, vetuerunt SS. Pontifices ne fideles secretas societates, quovis nomine nuncupatas ineant, jurejurando sese adstringentes ad arcana servanda. Nam fœdera hujusmodi clanculum inita mali suspicionem et periculum præ se ferunt, et jusjurandum temerè adhibetur. Idcirco monemus sacerdotes omnes, neminem posse absolutione sacramentali donari, nisi ab hujusmodi societatibus prorsus recedat. Hortamur autem, et in Domino obsecramus fideles omnes, ut occulta illa fœdera omnino declinent, mente revolventes se Christi membra esse, et Ecclesiæ quæ mater nostra est mandatis teneri, eosque ut filios lucis debere ambulare, juxta sanctissimâ et divina illa documenta quæ Christus Dominus tradidit.

XV.—*De scholis mixtis.*

Scholas *mixtas*, in quibus scilicet pueri fidelium simul cum acatholicorum pueris promiscuè admissi, nullam vel falsam religionem edocentur, utpote natas ad hanc impietatis luem, quæ vulgo *indifferentismus* nuncupatur, procreandam omnino periculosas judicamus. Quapropter pastoribus animarum enixè commendamus, ut fideles quorum cura sibi committitur ab istis gymnasiis omni conatu avocent. Quod si in quibusdam locis, scholis catholicis deficientibus, *mixtas* scholas pueri adire cogantur, invigilent pastores eorum atque parentes ne, erroris venenum sensim ebibentes, fidei innocentiaque jacturam patiantur. Nobis vero nihil non emoliendum erit ut catholici, jura sua reti-

nentes, scholis sibi propriis sicut et collegiis universitatibusque, in tota nostra provincia fruantur.

In primis autem satagemus, ut scholam moderatricem (vulgo dictam normalem) ad magistros, sana doctrina, bonisque moribus infrmandos obtineamus.

XVI.—*De celebratione Synodi Diœcesanæ.*

Juxta decretum Sacri Concilii Tridentini Diœcesana Synodus quotannis, quantum fieri potest, celebretur. Huic autem Synodo universi et singuli intersint, quicumque ex jure vel ex consuetudine interesse tenentur.

XVII.—*De publicatione decretorum hujus Concilii Provincialis.*

Decreta hujus Synodi Provincialis nemo prelo subjiciat aut promulget antequam a Sancta Sede Apostolica, juxta Constitutionem Sixti V. quæ incipit *Immensa*, revisa et recognita fuerint. Litteris autem quibus illa confirmantur a Sanctitate Sua obtentis, ea statim imprimantur, impressaque, a singulis Episcopis, vel in Synodo Diœcesana, vel, si celebrari nequeat, extra Synodum, quam primum promulgentur.

XVIII.—*De invocatione et veneratione Bmæ Mariæ Virginis.*

Eximia admodum et ineffabilis Beatæ Mariæ Virginis dignitas postulat, ut ei peculiaris exhibeatur cultus, qui, etsi non latriæ sit, cultu tamen sanctorum tanto præstantior esse debet, quanto gratia et gloria sanctos supereminet Maria: et hi quidem fideles Dei famuli

et amici, illa vero non ancilla tantum et dilecta, sed et mater Domini sui exitit, quæ lumen æternum mundo effudit, Jesum Christum Salvatorem nostrum. Undè illam beatam dixerunt omnes generationes; illam omnes Ecclesiæ, tum Patres, tum doctores tantis exstulerunt laudibus; illius encomium tot celebrarunt Concilia. Et ideo hæc Synodus, iisdem vestigiis insistere cupiens, hortatur et obsecrat Episcopos provinciæ aliosque quoslibet saluti animarum incumbentes, ut pro viribus suis cultum Beatissimæ Dei Genitricis magis ac magis propagare studeant, pro certo habentes quod qui invenerit matrem illam misericordiæ, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.

Undè hujus primi Concilii Provincialis Patres, in hac ecclesia metropolitana, sub titulo Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis dedicata, ad pedes ejusdem Dei Genitricis illibatæ provoluti, illi se suasque oves offerunt ac devovent, eamque ponunt custodem in vineis suis. Oculos ad Sedem Apostolicam convertunt humiliter et instanter, eam deprecantes ut in omnibus hujus Provinciæ Diœcesibus in officio et Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis liceat in orationibus et præfatione addere verba *immaculatæ, immaculata*; et in litanis ejusdem B. Mariæ Virginis, *regina sine labe concepta, ora pro nobis*: atque etiam tanquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam definire velit Beatissimæ Virginis Mariæ conceptum immaculatum omnino fuisse, ac ab omni prorsus originalis culpæ labe immunem.

**XIX.—*Decretum promulgationis testium synodaliū.***

Nos Petrus Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis antiquum atque probatum de testibus synodalibus institutum secuti, ad hoc officium, de consilio et consensu Reverendissimorum Coepiscoporum nostrorum, deligimus, instituimus atque pronuntiamus eos quorum nomina sequuntur :

Pro Quebecensi Archidiœcesi, DD. Thomam Cooke, Vicarium Generalem dictæ Archidiœcesis, et Franciscum Xaverium Delage, parochum a Beata Maria Auxilii vulgo l'Islet ;

Pro Diœcesi Kingstoniensi, DD. Æneam McDonnell et Joannem McDonald, Vicarios Generales Episcopi Kingstoniensis ;

Pro Diœcesi Marianopolitanensi, DD. Josephum LaRoque, canonicum ecclesiæ cathedralis Marianopolitanensis et Petrum Mariam Mignault, archipresbyterum, parochum a S. Josepho vulgo Chambly, in eadem Diœcesi ;

Pro Diœcesi Bypolitana, DD. Petrum Aubert, Superiorem Oblatorum Mariæ Immaculatæ, et Jacobum Hughes, parochum a Sancto Paulo vulgo Aylmer, in dicta Diœcesi Bypolitana.

Pro Diœcesi Torontina, DD. Petrum Henricum Harkin, presbyterum domus Archiepiscopalis nostræ, et Antonium Parant, presbyterum Seminarii Quebecensis.

**XX.—*Decretum de indictione futuri Concilii provincialis.***

Cum Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ decretis statu-

tum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur concilia provincialia, ut Ecclesiæ menti obsequamur, Nos Petrus Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum Comprovincialium, proximum Concilium hujus Provinciæ in ipsa nostra Ecclesia Metropolitana, mense maio anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, celebrandum jam denuntiamus et indicimus omnibus qui præsentibus adesse debent.

XXI.—*Decretum de fine Concilii.*

Cum placuerit omnibus Patribus hujus Concilii finem fieri, Nos, Petrus Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, Provinciali Concilio finem facimus, et jam nunc factum esse decernimus.

XXII.—*Decretum subscriptionis.*

Nos, Petrus Flavianus Turgeon Archiepiscopus Quebecensis admonemus Rmos. Patres omnes, qui huic Synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post nos singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et iis quæ in hac Synodo decreta sunt subscribant.

Nos Petrus Flavianus Turgeon, Archiepiscopus Quebecensis, hæc decreta a nobis definita subscripsimus.

+ P. F. Archiepiscopus Quebecensis.

Ego Rem. Episcopus Kingstoniensis definiens subscripsi.

Ego Ignatius Episc. Marianopolitanus definiens subscripsi.

Ego Jos. Eugenius Ep. Bypolitanensis definiens subscripsi.

Ego Arm. F. M. Episc. Torontinus definiens subscripsi.

Ego Patritius Ep. Carrhensis, Kingstoniensis Administrator, definiens subscripsi.

Ego Joannes Carolus Prince Ep. Martyropolitanus, Coadj. Marianopolitanensis, definiens subscripsi.

Ego C. F. Baillargeon Ep. Tloan., Coadj. Archiepiscopi Quebecensis, definiens subscripsi.

---

EPISTOLA PATRUM CONCILII ROMAM UNA CUM DECRETIS  
EJUSDEM CONCILII POST EJUS CELEBRATIONEM AD  
SUMMUM PONTIFICEM MISSA.

*Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ Nono.*

BEATISSIME PATER,

Sanctitati Vestræ tanta sollicitudine saluti omnium ecclesiarum invigilanti, gratum sane erit audire episcopos provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis nuperrimè formatae, Sacræ Tridentinæ Synodi decretis obedientes, in urbe metropolitana, ad celebrandum primum provinciale Concilium convenisse, die 15a mensis augusti.

Illis autem episcopis congregatis haud fas erat ex Concilio discedere quin prius commune et solemne testimonium ejus qua erga Apostolicam Sedem Sanctitatemque Vestram venerationis, obedientiæ et devotionis afficiuntur, exhiberent. Hujus debiti, nobis

omnibus, utpote amantissimis filiis, quam maxime grati, solvendi gratia, Reverendissimum J. C. Prince, episcopum Martyropolitenum, fratrem nostrum charissimum, atque mentis animique nostri fidelem interpretem, Romam mittimus. Ipse ad Sanctitatis Vestræ pedes, has litteras et vota nostra, una cum decretis quæ, ecclesiarum nostrarum necessitatibus occurrentes, condenda censuimus, deponet.

Hæc Apostolicæ Sedis iudicio, ut par est, subjicimus; ut, si Sanctitati Vestræ probentur, necessaria hac sanctione firmata, optatum effectum feliciter sortiantur.

Pauca quidem decernenda judicavimus, ast præsentibus rerum nostrarum adjunctis accommodata, ejusque naturæ, ut, si fideliter servantur, una cum Sedi Sanctæ subjectione ac concordia inter fratres, gloriam Dei, animarum salutem incrementumque religionis, divinæ gratiæ auxilio, in nostris diocesisibus promovere valeant.

Et nunc ad Sanctitatis Vestræ pedes provoluti, eique multos annos et æternam memoriam exoptantes, Apostolicam Benedictionem nobis gregibusque nostris imploramus.

Sanctitatis Vestræ,

Obsequentissimi filii,

- + P. F., ARCHIEPPUS QUEBECENSIS,
- + RIUS., EPPS KINGSTONIENSIS,
- + IG., EPUS MARIANOPOLITANENSIS,
- + JOS. EUG., EPUS BIPOLITANENSIS,

- + ARMDUS., FR. M. EPIS. TORONTINUS,  
 + PATRITIUS, EP. CARRHENSIS, KINGSTONIENSIS  
 ADMINISTRATOR.  
 + J. C., EPUS MARTYROPOLITANUS, COADJ. MARIANOP.  
 + C. F., EPUS. TLOAN. COADJ. QUEBECENSIS.

Quebeci die 28a augusti 1851.



PII PAPE IX LITTERÆ SUPER ACTIS CONCILII QUEBECENSIS.

*Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Quas die vigesima octava mensis Augusti superioris anni ad Nos mittere voluistis Litteras, grato prorsus et perlibenti animo accepimus; sensibus enim sunt undequaque refertæ deditissimi Nobis et sedi huic Apostolicæ animi. Quamobrem Martyropolitanum Episcopum Joannem Carolum qui et Litteras ipsas nobis reddidit, et Acta Provincialis Concilii, quod nuper habuistis, huc attulit, benignissimè excepimus, eximiamque Vestrum omnium in fungendo pastorali munere sollicitudinem, et alacritatem gratulati fuimus. Quibus de Actis ubi primum necessarium examen fuerit absolutum, responsum accipietis, Venerabiles Fratres; interim vero Nostra hac Epistola officio Vestro Nos respondemus, ac stimulos benè licet currentibus addimus quo uberius in dies creditis Vobis Ecclesiis extet pastoralis Vestri studii et sollicitudinis fructus. Omnipotentem Dominum humilibus Nos precibus invocamus, ut Vestram in Nos pietatem et observantiam omni remuneret copia donorum cœles-

tium. Quorum auspiciem Nostræque erga vos præcipuæ caritatis pignus adjungimus Apostolicam benedictionem quam ex intimo corde depromptam Vestrum singulis, Venerabiles Fratres, cum omni etiam clero Vestro, Fidelique Populo communicandam intimo cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 7 Januarii ann 1852, Pontificatus Nostri anno VI.

PIUS PP. IX.

---

LITTERÆ SUPER APPROBATIONE DECRETORUM CONCILII  
PROVINCIALIS QUEBECENSIS.

ILLME. ET RME. DNE.

In duplici S. Congnis. Generalis conventu proposita sunt acta et Decreta Synodi Provincialis Quebecensis, A. Tuæ, atque aliorum ecclesiasticæ illius provinciæ antistitum nomine per R. P. D. Epum. Joannem Carolum Prince exhibita: Emorum vero PP. judicium a SSmo. Do. No. probatum hæc epistola seu instructio declarat. Primo vero haud conveniens visum est quod Epis. Coadjutoribus votum decisivum tribueretur, attento præsertim quod in sententiarum discrepantia, duplici suffragio una pars adversus alteram irrationabiliter juvaretur. Hinc etiam tutius visum est ad cautelam a SSmo. Dno. actorum sanationem esse implorandam quamquidem Sanctitas Sua benignè concessit.

Quod vero ad Decreta pertinet, hæc S. C. animadvertenda censuit.

Quoad tertium *de Professione Fidei* movitum voluit

ut, cum Decreta typis edantur, Fidei professio a Pio IV. s. m. præscripta per extensum inseratur, eodemque Decreto tertio clarius etiam significetur Professionem illam a Patribus solemniter in Synodo præstitam fuisse. Neque etiam prætereundum videtur in Synodis Decretum *de Fide* edi consuevisse, quo, locorum ac circumstantiarum ratione habita, præcavetur ut Fidei Catholicæ puritas intemerata servetur, atque erroribus aditus occludatur. Cum rursus Concilium Provinciale erit celebrandum, huic defectui occurrere licebit.

In decreto quarto accuratius discernenda videntur verba S. Petri Chrysologi ab iis quæ addunt Synodi Patres ; verba autem S. Doctoris ita exhibentur in editione Baheriniana operum S. Leonis T. 1. p. 79. *Quoniam Beatus Petrus qui in propria sede vivit et præsidet, præstat quærentibus veritatem.* In formula Orientalibus ab Hormisda Pontifice proposita legitur : *Sedes Aplica..... in qua est integra et vera Christianæ Religionis perfecta soliditas.* Demum Paschasinus aliique S. Leonis M. legati in Concilio Chalcedonensi, actione 3. B. Petrum commemorantes addunt : *qui est petra et crepido Catholicæ Ecclesiæ, et rectæ Fidei fundamentum.*

Indultum pro festis de quibus in quinto Decreto adjectoque supplici libello agebatur, concessum est : ita tamen ut tituli ac dies pro iisdem festis ad Calendarii Rom. Cleri normam sint reducendi. Quoad festum B. M. de Victoria, petitio ad S. Rituum C. transmissa est : cumque ex responsione ea de re edenda, sit etiam

dijudicandum circa diem præfniendam pro festo Puritatis B. M. V. rescripta pro integro supplici libello, suo tempore, tradentur. Significandum interea est festa S. Hilarii Pictaviensis sub ritu duplici, S. Antonini item sub eodem ritu, Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. 2. classis Dominica 1. Julii, Septem Dolorum B. M. V. dupl. majus Dom. 3 Septembris, jam pro universa Ecclesia vigere per decreta, ut inquiunt, urbis et orbis.

Examen deindè circa Decretum VI. *de Rituali* fuit institutum, quoad etiam additiones inducendas, ac novam editionis formam. Porro cum dubium propositum EE. PP. fuerit, num Decretum illud VI. admitti posset, necnon Rituale cum exhortationibus, translationibus ex latino in vulgaria idiomata, novisque benedictionibus per Epum, Prince exhibitis, ac juxta propositam distributionem, EE. PP. respondendum censuerunt *affirmativè juxta modum ab Emo. Relatore propositum*; nempe in exhortatione facienda antequam omissæ baptismatis cæremoniæ suppleantur, adjiciatur explicatio ritus quo aures et nares baptizati a sacerdote tangerentur. Delenda erit integra exhortatio circa matrimonia mixta, cum matrimonia hujusmodi Ecclesia ægrè admodum admittat, et ab iisdem omni ope fideles avertat. In Ritualis titulo tollatur *Approbante Smo. Dno.*, quemadmodum et alia quæ sequuntur post verbum *editum*. Interrogationes faciendæ in admne. Baptismatis edantur et fiant latino idiomate, haud vetito tamen quod vulgari idiomate repeti valeant, cum opportunum videatur ut melius intelligantur.

Deleatur *adnotatio* quæ respicit omissionem unctio-  
nis lumborum seu renium. In ordine *commendationis*  
*animæ*, haud tollatur textus latinus Evang. secundum  
Joannem. Quoad Benedictiones in Rituali Rno. haud  
comprehensas, EE. PP. censuerunt Epos. remittendos  
esse ad S. C. Rituum. In reliquis autem, Ritualis edi-  
tio conformis sit Rituali Romano.

De *Ceremoniarum libro* EE. PP. agentes occasione  
Decreti septimo N<sup>o</sup> lati, responderunt: *edito prius*  
*Ceremoniali et S. C. examini subjecto providebitur.*

Decretum nonum inscriptum *De solemnitatibus* ad-  
missum est: Num<sup>o</sup> autem primo Indultum Sanctita-  
tis Suæ eidem respondens adjicitur.

In Decreto 12, tempus quo catechismus fieri de-  
beat haud visum est pro ulla regione coarctandum:  
hinc præscribendum esset ut, quoad possibile sit, quem-  
admodum in civitatibus, ita etiam rure, integro anni  
cursu, catechetica instructio fiat. Opportunis instruc-  
tionibus pueri disponendi sunt, non modo ad primam  
communionem, verum etiam et ad primam confessio-  
nem. Documentum, quo fides fit aliquem ad primam  
communionem accessisse, admitti potest velut probatio  
suppletoria seu præsumptiva recepti Baptismatis; at-  
amen in casu tantum quo haberi prorsus nequeat cer-  
tius ea de re documentum, ac probatio magis directa.  
Hinc etiam Episcopi agnoscent quanta diligentia, an-  
tequam fideles ad primam communionem admittantur,  
Parochi seu Missionarii circa Baptisma iisdem colla-  
tum inquirere debeant: tunc enim tantum admissio ad  
Eucharistiam, suppletorio modo, receptionem baptisma-

tis probare poterit. Paragrapho ultimo memorati Decreti, ante verba *per annum*, addatur *saltem*.

Quod pertinet ad Decretum 15, est ritè præcavendum ne annuæ relationes transmittendæ a Parochis et Missionariis ad suos Epos. habeantur loco pastoralis visitationis, quæ proindè ad tramitem S. Canonum, in singulis parœciis seu missionibus, ab Episcopis peragenda.

In Decreto N<sup>o</sup>. 20, ubi dicitur Decreta Concilii haud esse evulganda antequam a S. Sede Aplica. juxta Constit. Sixti V, quæ incipit *Immensa*, approbata fuerint; juxta tenorem ipsius Constitutionis dicendum erit *revisa et recognita*; neque enim Aplica, Sedes omnibus Decretis Conciliorum Provincialium positivam approbationem semper tribuere intendit.

Demum quoad Decretum 21. EE. PP. transmittendam jusserunt Encyclicam à Smo. Dno. Nro. latam circa invocationem Immaculatæ Conceptionis, eamque adjec. tam reperies.

Superest animadvertendum, in Synodis illud quoque generatim servari, ut circa sacramentorum administrationem regulæ, ex Catholicæ Ecclesiæ doctrina, ex Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ecclesiasticis Canonibus excerptæ, breviter accuratè tradantur: licet vero id in prima hac Synodo provinciali effici forsitan ob temporis angustias non potuerit; opportunum erit ut in proximè habenda præstetur, Decretis antea ritè dispositis, habitisque præ oculis aliis probatis Conciliis, quæ eo titulo peculiariter commendentur.

Decreta proindè juxta hactenus traditam instructionem emendata vulgari poterunt, addito etiam S. Congnis. Decreto quod his litteris adjungitur: sperare vero licet, ex diligenti horum Decretorum observantia, plurimum utilitatis rei catholicæ obventurum.

Precor Deum ut Te diu sospitem incolumemque servet.

Romæ ex ædib. S. C. de P. Fide, die 8 Julii 1852.  
Ampl. Tuæ

Ad officia paratissimus

(Sign) J. PH. CARD FRANZONI, *Præfs.*

AL. BARNABO,

*a Secretis.*

---

APPROBATIO DECRETORUM.

*S. Congnis. de Propaganda Fide.*

Archiepiscopus et Episcopi Provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis ut Ecclesiarum illarum regimini melius provideatur, superiore anno, mense Augusto, Provinciam Synodum in ipsa Quebecensi urbe celebrarunt, ejusdemque acta et Decreta, per Epum. Joannem Carolum Prince, examini ac judicio Sedis Aplicæ exhibuerunt. Porro induplici generali conventu, diebus 10 ac 17 maii hujus anni, Emi. ac Rmi. Patres S. Congnis, de Propaganda Fide, referente Emo. ac Rmo. D<sup>o</sup> Ludovico Card. Altierio, maturè iisdem actis ac Decretis perpensis, prævia sanatione cujuscumque defectus in celebratione ejusdem Synodi, quæ à SSmo. Domino Nostro concessa est, supradicta Decreta, nonnullis adhibitis modificationibus, quæ peculiari Instructione traduntur, approbanda censuerunt.

Dat. Romæ ex æd. d. S. C. de P. Fide, die 6 Julii  
1852.

[L. S.] (Sign) J. PH. CARD FRANZONI,  
*Præf.*  
AL. BARNABO,  
*a Secretis.*

---

POSTULATIO DE NOVIS OFFICIIS.

BEATISSIME PATER,

Ut in tota nostra Provincia Quebecensi laudes Deo una voce persolvamus, Nos Archiepiscopus Quebecensis et Episcopi diœcesium ejusdem provinciæ, in Concilio congregati, supplicamus Sanctitati Vestræ ut dignetur indulgere, ut Officia, Quebecensi Diœcesi jamdudum a Sancta Sede concessa, ceteris diœcesibus provinciæ nostræ concedantur; et insuper ut alia Officia, quorum catalogum ꝑadnectimus, possint ubique per totam nostram Provinciam Quebecensem recitari. Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ humillimè speramus.

Officia de quibus agitur, hæc sunt:

Desponsatio B. M. V. dupl. maj. Januarii 23.

S. Polycarpi Episc. et mart. dupl. Januarii 26.

S. Ignatii Ep. et mart. dupl. Februarii 1.

Orationis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post Dom.  
Septuagesimæ.

Commem: Passionis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6  
post Dom. Sexagesimæ.

SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C. dupl. maj. feria 6.  
post Dom. Quinquagesimæ.

SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. dupl. maj.  
feria 6. post Dom. 1. Quadragesimæ.

SS. Sindonis D. N. J. C. dupl. maj. feria 6. post  
Dom. 2. Quadragesimæ.

SS. quinque Vulnerum D. N. J. C. dupl. maj. feria  
6. post Dom. 3. Quadragesimæ.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. maj. feria  
6. post Dom. 4. Quadragesimæ.

S. Patritii ep. et conf. dupl. maj. Martii 17.

S. Joseph sponsi B. M. V. dupl. 1. classis Martii 19.

S. Joannis Nepomuceni, conf. dupl. Maii 22.

B. M. V. Auxiliatricis. dupl. maj. Maii 24.

S. Rochi conf. dupl. Junii 17.

Purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj. Dom. post  
octavam Assumptionis.

Maternitatis B. M. V. dupl. maj. Dom. 2. Octobris.

Puritatis B. M. V. Dom. 3. Octobris.

Patrocinii B. M. V. dupl. maj. Dom. 4. Octobris.

S. Stanislai Kostkæ, conf. dupl. Novembris 16.

S. Thomæ Cantuariensis Ep. et martyris. dupl. De-  
cembris 29.

|                                  |                                                                |
|----------------------------------|----------------------------------------------------------------|
| Officium de SS. Corpore Christi. | } Dummodo non sint<br>impedita juxta De-<br>creta S. R. C. 20. |
| semid. omnibus feriis quintis ;  |                                                                |
| Officium Conceptionis B. M. V.   | } Martii 1706. et 15.                                          |
| semid. singulis sabbatis ;       |                                                                |
|                                  | } Martii 1804.                                                 |

## POSTULATIO DE SOLEMNITATIBUS.

BEATISSIME PATER,

Ad fovendam fidelium pietatem, nos Archiepiscopus Quebecensis et Episcopi Diœcesium omnium provinciæ ecclesiasticæ in Concilio congregati, humiliter petimus, ut Sanctitas Vestra indulgere dignetur, ut quædam festa, nempe, *Purificationis B. M. V.*,—*S. Josephi*,—*S. Joannis Baptistæ*,—*Assumptionis B. M. V.*—*Nativitatis ejusdem*,—*S. Michaelis Archangeli*,—*S. Patroni vel Titularis Ecclesiarum parochialium*, quorum solemnitas fit tantummodo die dominica sive præcedente sive sequenti, absque Missa et vesperis festo propriis, eodem modo celebrentur, etiam in dominica secundæ classis, quo B. M. V. Assumptionis festum peragere solemus, juxta indultum die 13. Martii 1819., a S. C. de Propaganda Fide concessum : “ Placuit S. C., ut in dominica immediatè sequenti B. M. V. festum, in cunctis Ecclesiis, missa et vesperæ solemnes, ac si dies proprius Assumptionis esset, peragantur, additis iis quæ de ritu sunt commemorationibus ; denique ut in Ecclesiis, ubi non celebratur missa cum cantu, una missa de festo Assumptionis cum suis respectivè commemorationibus celebretur. ”

Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ speramus. Quebeci die 28. Augusti 1851.

\* \* \*

DECRETUM S. CONGNIS DE P. FIDE CIRCA SOLEMNITATES.

*Ex audientia SSmi. habita die 20 junii 1852.*

Illmus. Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Cognis. de Propaganda Fide Secretario, preces Archiepi. Quebecensis et Eporum. ejusdem Ecclesiasticæ provinciæ necnon votum ea de re per S. C. latum die 10 Maii 1852, benigne annuit ut in eadem Provincia pro festis Purificationis B. M. V., S. Josephi, S. Joannis Baptistæ, Assumptionis B. M. V., Nativitatis ejusdem, S. Michaelis Archangeli, S. Patroni vel Titularis Ecclesiarum parochialium, quorum solemnitas fit die Dominico sequenti; tunc etiamsi occurrat Dominica secundæ classis, in cunctis Ecclesiis missa et vesperæ solemnes ac si dies proprius esset, peragantur additis iis quæ de ritu sunt commemorationibus: in Ecclesiis vero ubi non celebratur missa cum cantu, una missa de prædictis festis cum suis respectivè commemorationibus celebretur, prout circa festum Assumptionis B. M. V. per rescriptum diei 13 maii 1819 provisum fuerat. Id vero Sanctitas sua indulset contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dat. Romæ ex æd. d. S. C. de P. Fide, die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

[L. S.]

AL. BARNABO,

*A Secretis.*

PETITUR UT ALIQUA PARS REDDITUUM PAROCHORUM ASSIGNETUR EPISCOPIS AD EORUM SUSTENTATIONEM.

Cum redditus ad sustentandos Episcopos in Canadensi Provincia, præcipuè in neodiocesisibus, sint exigui et communiter ex fidelium pietate proveniant, Deputatus ad Apostolicam Sedem, J. C. Prince, Episcopus Martyropolitani et Coadjutor Marianopolitani, ad pedes Suæ Sanctitatis provolutus, eam humiliter deprecatur ut facultatem sequentem, jam aliquibus Episcopis, tam in Hibernia quam in Canada concessam, benignè et in perpetuum impertire dignetur.

Cuique Episcopo titulari et Episcopo Coadjutori pro tempore existenti, liceat accipere tertiam partem proventuum unius parœciæ, aut duarum parœciarum in Diocesi; vel quartam aut quintam partem, si inter tres aut quatuor parœcias; vel, si melius videbitur, sumat Episcopus decimam tantum partem reddituum, si inter plures et ferè omnes parœcias dividatur onus sustentandi Episcopum aut Episcopos; habita semper circumstantiarum ratione, et his parœciis aliundè sufficienter provisum cum idoneis pastoribus.

Romæ die 15. Martii 1852.

+ J. C. EP. MARTYROP. COADJ. MARIANOP.

*Deput. Prov. Eccl. Quebecensis.*

DECRETUM S. CONGREGATIONIS DE P. F.

BME. PATER,

J. C. Epus. Martyropolitani Coadjutor Marianopolitani, Deputatus Provinciæ Quebecensis, exposuit ut infra. Per Indultum à SSmo. Dno. Gregorio Papa

XVI die 1a. Junii 1834 datum, parochi diocesis Quebecensis iis festis diebus quibus fideles ab obligatione audiendi missam Aplica. auctoritate soluti sunt, ab onere applicandi missam pro populo in posterum exempti sunt. At obligationem applicandi missam pro populo iis diebus prius ignorantes, ferè omnes parochi in Canadensi Provincia hanc missæ applicationem omiserant. Hinc petitur ut, sicut pro Belgicis provinciis factum est, Sancta Sedes presbyteros Canadenses solvat ab obligatione hanc reparandi omissionem.

Ex audientia SSmi. habita die 29 februarii 1852.

SSmus. Dnus. Noster Pius Divina Provida. PP. IX, referente me infrapto. S. Congnis. de Propaganda Fide Secreto. benignè annuit pro petita sanatione, celebrato tamen aliquo numero missarum ab ordinario proprio designando.

Dat. Romæ ex æd. dic. S. Cognis. die et anno ut supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

L. S.

AL. BARNABO, a Secretis.

---

PETITIO DE ERECTIONE TRIFLUVIANENSIS DIOECESIS.

*Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ Nonno.*

BEATISSIME PATER,

Nobis, Archiepiscopo et Episcopis provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis, ad religionis bonum maximè conducere visum est ut nova Sedes Episcopalis in urbe Trifluviana erigatur, quæ territorium inferius designatum, ex Archidiocesi Quebecensi extractum, comprehenderet.

Nova Diœcesis Trifluvianensis continebit totum districtum Trifluvianensem, comitatus vulgo dictos *Champlain, St. Maurice, Yamaska, Nicolet et Drummond* comprehendentem, et partem comitatus vulgo dicti *Sherbrooke*, in Districtu S. Francisci, in qua inveniuntur loca (Townships) nuncupata *Garthby, Hatford, Whitton, Marston, Clinton, Woburn, Stanhope, Croydon, Chesham, Adstock, Linwick, Weedon, Dudswell, Bury, Hampden, Ditton, Embarton, Drayton, Auckland, Newport, Westbury, Stoke, Windsor et Ship-ton.*

Idoneos novæ Sedi regendæ commendandos duximus \* \* \* et enixè rogamus ut Sanctitas Vestra unum ex eis ad novam Diœcesim regendam seligere dignetur.

Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ speramus.  
Provinciâ Canadensi, mense Octobri 1851.

\*\*\*

---

*Breve Erectionis.*

PIUS PP. IX.

Ad futuram rei memoriam. Universi Dominici gregis cura quæ Nobis utpotè Beati Petri Apostolorum Principis Successoribus commissa divinitus est, illud exigit, ut quum opportunum fuerit, novas per terrarum orbem constituamus ecclesias, novosque præficiamus pastores, ut saluti ovium faciliùs ac securius ea ratione consultum sit. Jam verò quum Archiepiscopus Quebecensis, ejusdemque Suffraganei Episcopi ex Synodo anno proximè superiori habita Nobis supplicaverint, ut ad meliùs providendum spirituali fidelium bono ex satis ampla Quebecensi diœcesi partem quamdam sejungeremus ad novam ecclesiam constituendam, quæ suffraganea esset Metropolitanæ Quebecensis, et cujus sedes in Civitate Trifluviana statueretur, Nos de hac re deliberatio-

nem habuimus cum VV. FF. NN. S. E. R. Cardinalibus propagandæ fidei præpositis, omnibusque maturè perpensis expedire in Domino judicavimus ut ad prædictæ Ecclesiæ erectionem deveniamus. Itaque motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Applicæ. auctis plenitudine a Diœcesi Quebecensi sejungimus, ac dismembramus totum districtum Trifluvianensem, Comitatus vulgo dictos *Champlain*, Sancti Mauritii, *Yamaska*, *Nicolet* et *Drummond* comprehendentem, item partem comitatus vulgo dicti *Sherbrooke*, in districtu Sancti Francisci, in qua inveniuntur loca (*Townships*) nuncupata *Garthby*, *Stratford*, *Whitton*, *Marston*, *Clinton*, *Woburn*, *Stanhope*, *Croydon*, *Chesham*, *Adstock*, *Linwick*, *Weedon*, *Dudswell*, *Bury*, *Hampden*, *Ditton*, *Embarton*, *Drayton*, *Auckland*, *Newport*, *Westbury*, *Stoke*, *Windsor* et *Shipton*. Has regiones igitur et prædicta loca à Quebecensi diœcesi dismembrata territorium efficere volumus novæ ecclesiæ Trifluvianæ nuncupandæ cujus sedem episcopalem in Civitate Trifluvianæ erigimus et constituimus, atque hanc Trifluvianam ecclesiam sic erectam suffraganeam esse volumus Archiepiscopalis Ecclesiæ Quebecensis. Hæc volumus, statuimus et mandamus, decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectant quovis tempore suffragari, sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Aplici. auditores ac S.R., E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et aucte. iudicari, ac defini debere, irritumque et inane quidquid secùs super his à quoquam, quavis aucte. scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstat. Nostra, et Concellariæ Applicæ. regula de jure quæsito non tollendo et quatenus opus sit fel: rec: Benedicti XVI Prædecessoris nostri super Divisione Materialium, aliisque Aplicis. Constitutionibus cæterisque

contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die VIII Junii, MDCCCLII, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

(L. S.)

*Pro Domino Card. Lambruschini.*

Jo. B. BRANCALEONI CASTELLANI, *Substus.*

PETITIO DE ERECTIONE DIOECESIS S. HYACINTHI.

*Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX.*

BEATISSIME PATER,

Nos Archiepiscopus et Episcopi provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis animarum necessitatibus providere desiderantes, novam Sedem Episcopalem in loco vulgo dicto *Saint-Hyacinthe*, quæ territorium infra designatum regat, erigendam duximus, dummodo ità S. Sedi Apostolicæ placuerit.

Nova Diœcesis S. Hyacinthi continebit comitatus dictos *Saint-Hyacinthe*, *Richelieu*, *Rouville*, *Missisquoi*, *Shefford* et *Stanstead*, in Diœcesi et Districtu Marianopolitanensi, et partem comitatus vulgo dicti *Sherbrooke* comprehendentem loca (Townships) nuncupata *Melbourne*, *Brompton*, *Orford*, *Ascot*, *Eaton*, *Clifton*, *Compton* et *Hereford*, in Districtu S. Francisci et Archidiœcesi Quebecensi.

Humiliter quoque petimus ut Illustrissimus ac Reverendissimus Joannes Carolus Prince, Episcopus Martyropolitanensis, jam Coadjutor cum futura successione Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Marianopolitanensis, ad novam Diœcesim regendam seligatur. Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ speramus.

Provinciâ Canadensi, mense octobri 1851.

\* \* \*

*Breve Erectionis.*

PIUS PP. IX.

Ad futuram rei memoriam. Ad Romanum spectat Pontificem utpotè Apostolorum Principis in gubernanda universa Ecclesia Successorem novas per terrarum orbem constituere dioceses, quum res ac tempus postulet, ut nimirum aucto Pastorum numero in tantis insidiis Christiani gregis securitati consulatur. Jamvero Episcopi regionis Canadensis in America Septentrionali ac Provinciali Concilio anno superiori celebrato Nobis supplicarunt, ut, quo melius provideri possit spirituali bono fidelium, novam Episcopalem sedem erigeremus in Civitate Sancti Hyacinthi, dismembratis nonnullis regionibus ex satis amplis Diocesis Quebecensi et Marianopolitana, quæ nova Episcopalis sedes suffraganea esset Archiepiscopalis Ecclesiæ Quebecensis. Nos hac super re cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus propagandæ Fidei præpositis deliberavimus ac maturè perpensis omnibus dictorum Antistitum precibus adnuendum atque ad erectionem novæ Ecclesiæ prædictæ deveniendum existimavimus. Itaque motu proprio ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ex Archidiocesi Quebecensi ac districtu Sancti Francisci sejungimus ac dismembramus partem comitatus vulgo dicti *Sherbrooke*, comprehendentem loca (*Townships*) nuncupata *Melbourne, Brompton, Orford, Ascot, Eaton, Clifton, Compton et Hereford*; ex diocesi verò ac districtu Marianopolitano dismembramus comitatus Sancti Hyacinthi, *Richelieu, Rouville, Missisquoi, Shefford et Stanstead*. Igitur has regiones seu loca partim ab Archidiocesi Quebecensi, partim à diocesi Marianopolitana, ut superius dismembrata, territorium efficere volumus novæ Episcopalis Ecclesiæ, cujus sedem in Civitate Sancti Hyacinthi erigimus et constituimus eamque suffraganeam esse volumus

Archiepiscopalis Ecclesiæ Quebecensis. Hæc volumus, statuimus, mandamus, decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, iisque, ad quos spectant quovis tempore suffragari sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Aplici. auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et aucte. iudicari ac defini debere, irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis aucte. scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan: Nostra et Cancellariæ; etc. Datum Romæ die VIII Junii MDCCLII.

---

PETITIO DE ELECTIONE COADJUTORIS MARIANOPOLITANENSIS,

*Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX.*

BEATISSIME PATER,

Cum jam Sanctitati Vestræ supplicaverimus ut regimen novæ Diœcesis S. Hyacinthi, cujus erectionem petimus, Illmo. ac Rmo. Joanni Carolo Prince, Episcopo Martyropolitanensi ac Illmi. et Rmi. Episcopi Marianopolitanensis Coadjutori, conferre dignetur, nunc Sanctitatem Vestram enixè rogamus ut eidem Episcopo Marianopolitanensi alterum Coadjutorem *cum futura successione*, quo adhuc propter corporis debilitatem valdè indiget, benignè concedere velit.

Ad hoc munus Sanctitati Vestræ tanquam idoneos humillime commendamus \* \* \*, ut ex eis, si opportunum iudicaverit, unus seligatur.

Quod de indulgentia Sanctitatis Vestræ speramus.  
Provincia Canadensi, mense Octobri 1851.

• • •

EPISTOLA NMI. PRÆFECTI CONG. DE P. F. DE ELECTIONE EPISCOPORUM.

ILLME. ET REVE. DOMINE,

Juxta Eporum. vota Illmus. D. Noster annuit pro erectione duarum Eccliarum. Epalium. S. Hyacinthi nempè et Trifluvianæ, quarum primæ fuit propositus R. P. D. Joannes Carolus Prince, antea Epus. Martyropolitanus, alteri vero Thomas Cooke ab Episcopis commendatus. Literæ Applicæ. tum pro Eccliarum. erectione, tum circa Eporum. electionem prælaudato Epo. traditæ sunt, quemadmodum et facultates formulæ typis impressæ. In memoratis litteris circa electionem novarum Diocesium limites præfinitur juxtâ districtus in vestro supplici libello adnotatos.

Si vero deinde necessitas occurat diversimode limites eosdem definiendi, ea de re accuratè S. Congtio. certior erit reddenda ut opportunè provideatur.

Huic demum epistolæ A. Tua adjecta reperiet Brevia Apostolica quibus R. D. Josephus LaRocque ad Epatum. titulo in partibus infidelium promovendus decernitur et, loco R. P. D. Joannis Caroli Prince, Coadjutor cum futura successione Epo. Marianopolitano adsignatur. Precor Deum ut Te diu sospitem incolumemque servet.

Romæ ex æd. S. C. de Pnda. Fide die 8 Julii 1852.  
Ampl. Tuæ.

Ad officia paratissimus,

J. PH. CARD. FRANZONI, *Præf.*

AL. BARNABO, *a Secretis.*

---



## APPENDIX.

DECRETUM DE FESTO DOLORUM B. M. V.





*Urbis et Orbis.*

Cum in publicis Ecclesiæ calamitatibus aucta plurimum fuerit devotio erga BEATISSIMAM VIRGINEM juxta Simeonis prophetiam in anima gladio transfixam, cujus commemoratio fit dumtaxat Feria VI. post Dominicam Passionis, dum Ecclesia ob sublimia Redemptionis mysteria, quæ eo tempore celebrantur, in tristitia versatur, et luctu; cumque propterea Apostolica Sedes jampridem indulserit, ut in Ordine Servorum B. M. V. iterato idem festum solemniter perageretur in Dominica III. Septembris, quod postmodum extendit ad plurimas Provincias, et Dioceses: hinc Sanctissimus Dominus Noster Pius VII. Pont. Max. pia devotione motus erga B. V. M. dolore transfixam, accedentibus etiam precibus Sermi. Caroli Emmanuelis Sardinæ Regis, ac veto Emi. et Rmi. Domini Cardinalis Julii Mariæ de Somalia uti Sacr. Rit. Congregationi Præfecti, suæ vocis oraculo in Audientia mihi infrascripto Sub-Promotori Fidei sub hac die benignè impertita, præcepit, ut in posterum in universa Ecclesia ubique terrarum quotannis, recurrente Dominica III. Septembris, celebretur festum Dolorum B. M. V. extendendo ad omnes tam seculares, quam regulares, qui ad horas canonicas tenentur, Officium et Missam jam concessa Ordini Servor. ejusdem B. M. V. sub ritu dup. maj. Sed quoniam in ea Dominica III. Septembris aliquando occurrit Octava Nativitatis B. M. V. aut festum S. Matthæi Apostoli; alterutro adveniente casu, mandavit, ut festum Dolorum transferatur in primam ex sequentibus Dominicis, quæ non sit impedita Officio ritus dupl. primæ, vel secundæ classis, firma nihilominus remanente ejusdem festi commemoratione, quæ fit in Feria VI. post Dominicam Passionis. Die 13 Septembris 1814.





**IMAGE EVALUATION  
TEST TARGET (MT-3)**



**Photographic  
Sciences  
Corporation**

23 WEST MAIN STREET  
WEBSTER, N.Y. 14580  
(716) 872-4503

14 28 25  
32 22  
20  
8

10  
8

DECRETUM ELEVANS FESTUM S. ANTONINI EPISCOPI CONFES-  
SORIS AD RITUM DUPLICIS MINORIS.

*Urbis et Orbis.*

Dilectus Deo et hominibus Sanctus Antoninus Florentinorum Antistes, quum ab ipsa pueritia sibi proposuerit Deo plenissimè adhærere, viamque mandatorum ejus alacri semper gressu percurrere, ponens in Domino spem suam, morum integritate vitæque sanctimonia promeruit ut divinitus dirigeretur ad pœnitentiam gentis, ac tollendam abominationem impietatis. Siquidem gubernans ad Dominum cor suum, optavit, ac datus est illi sensus, ac spiritus sapientiæ, omniaque bona pariter cum illa adeptus, super salutem et speciem dilexit illam, atque illius inextinguibili splendore adductus, in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Pastoralis dignitate et officio cohonestatus, quasi sol effusit in templo Dei, forma factus gregis, ex animo ac sollicitè attendens sibi eidemque gregi, in quo Spiritus Sanctus eum posuit episcopum regere Ecclesiam Dei, quam humani generis Redemptor acquisivit sanguine suo, curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. Propter quod vigilans, sibique concreditorum fidelium commoda et utilitates inquirens, vix dici potest quantum prudentia, pietate, charitate, ac sacerdotali zelo in hoc munere excelluerit, non gloriandi, et dominandi et acquirendi cupiditate, sed obediendi et subveniendi et Deo placendi charitate. Nihil aliud scire, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum, omnibus siva longè, sive propè fuissent, evangelizavit pacem evangelizavit bona, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, donec occurrit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, et adeptus est coronam justitiæ bono certamine legitimè expleto, cursu integrè consummato, ac fide sanctissima servata. Etsi insignis hujusmodi viri nomen undique inclaruerit, ac penes

omnes ejus memoria in benedictione permaneat, attamen ut ejus cultus magis magisque augeatur, nonnulli Emi. et Rmi. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, non minùs quam plures amplissimi Antistites, ac in primis Rmus. archiepiscopus Florentin. cum Rmo. P. Magistro generali ordinis Prædicatorum cujus institutum juvenis adhuc Sanctus Antoninus amplexus est, Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI Pontificem Maximum humillimis precibus instantissimè cfflagitarunt, ut festum Sancti Antonini, episcopi confessoris, quod jam diu ab universali Ecclesia cum officio et missa sub ritu semi-duplici instituitur, pro clero tum sæculari, tum regulari, non exclusis cujuscumque ordinis sanctimonialibus ad horas canonicas persolvendas adstrictis, ad ritum duplicis minoris de speciali gratia elevare dignaretur. Enixis hujusmodi precibus a Sanctitate Sua peramanter exceptis, referente me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis secretario, decimo kalendas septembris superiori anno 1844 benignè annuit juxta petita, attamen pro Italia tantum et insulis adjacentibus.

Verùm quum idem Rmus. Florentin. archiepiscopus, cum nonnullis aliis etiam exterarum gentium præsulibus, et religiosorum ordinum moderatoribus, iterum supplicarit ut enunciatum Indultum Italiæ et insulis adjacentibus concessum ad universalem extendatur Ecclesiam, ac de mandato ejusdem Sanctitatis Suæ, de novis hisce precibus actum fuerit in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis ad Quirinales ædes habitis octavo idus vertentis mensis et anni, Emi. et Rmi. Patres sacris tuendis ritibus præpositi, rescribendum censuerunt: *pro gratia ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.*

Super quibus omnibus facta iterum Sanctissimo Domino per me secretarium fidei ratione, ipsa Sanctitas Sua Rescriptum Sacræ Congregationis auctoritate apostolica confir-

mans, edixit ut deinceps festum Sancti Antonini episcopi confessoris ab universali Ecclesia recolatur cum officio et missa jam concessis sub ritu duplici minori, contrariis non obstantibus quibuscumque.—Die 12 septembris 1845.

DECRETUM DE FESTO PATROCINII SANCTI JOSEPH.

*Urbis et Orbis.*

Inclutus Patriarcha Joseph, quem Omnipotens Pater singularibus gratiis auxit, ac charismatibus cœlestibus cumulavit, ut Unigeniti filii sui putativus pater esset, ac verus sponsus Reginæ mundi et Dominæ Angelorum, tam sublimis electionis partes omnes, muniaque tam perfectè explevit, ut boni fidelisque servi encomium meruerit et præmia. Etenim memor semper præcellentis dignitatis suæ ac sanctitatis nobilium officiorum queis a divina sapientia præficiatur, ipsius Dei consiliis et voluntati, alacritate propemodum inenarrabili, in omnibus indesinenter paruit, placensque Deo factus est et dilectus, donec gloria et honore coronatus in cœlis novum susciperet officium, nimirum ut copiosis meritis et orationis suffragio miserrimæ subvenerit hominum conditioni, atque validissima intercessione quæ possibilitas humana obtinere nequit, mundo impetraret. Hinc passim misericors veneratur ad Deum mediator, efficaxque patronus, ejusque Patrocinii festum cum officio ac missa longè latèque instituitur dominica tertia quæ à Paschalibus gaudiis occurrit. Verum quod unum exoptandum supererat, nimirum ut officium Patrocinii Sancti Joseph de præcepto ad universalem extenderetur Ecclesiam, id Emus. et Rmus. Dominus Cardinalis Constantinus Pâtrizi, à Sanctissimo Domino nostro Pio IX, humilibus precibus, proprio et aliorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ac quamplurium etiam exterorum fidelium nomine porrectis, enixè imploravit. Quas quidem preces apprimè conformes singulari pietati suæ erga Sanctum Josephum, apostolica benignitate exci-

piens Sanctissimus idem Dominus, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis secretario, benignè in omnibus annuit, præcepitque ut deinceps ab utroque clero urbis et orbis sub ritu dupl. sec. classis persolvatur officium proprium cum missa Patrocinii Sancti Joseph, dominica tertia post Pascha, qua impedita alio officio potioris ritus vel majoris dignitatis indulset, ut officium Patrocinii S. Joseph transferatur ad primam diem liberam juxta rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 10 sept. 1847.

---

DECRETUM DE FESTO PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.

*Urbis et Orbis.*

Redempti sumus in D. N. J. C. Sanguine qui emundat nos ab omni iniquitate, et ideo beati, qui in hoc lavant stolas suas. Quod si Ægypti domus agni sanguine conspersæ, ab ira Dei fuerunt salvæ, multo magis hanc iram effugient, imo et miserationibus et gratiis erunt repleti, qui peculiari devotione et obsequio, servatoris nostri sanguinem venerantur et colunt.

Hæc aliaque hujusmodi animo reputans SS. Dominus Noster Papa Pius IX, ut fidelium corda, hisce præsertim miserrimis temporibus, quibus inimicus homo in dominico agro superseminare zizaniam, et multos insidiis, fraudibus, erroribus decipere atque irretire conatur, amore erga hoc redemptionis nostræ pretium magis magisque excitentur et inflammentur, mandavit, ut non solum in Urbe, sed et in Orbe universo, omnes de clero tum sæculari, tum regulari, qui horas canonicas recitare tenentur, Missam et Officium de pretiosissimo Sanguine D. N. Jesu Christi, jam Sacrorum Rituum Congregatione approbatum, et pluribus dicecesibus concessum, Dominica prima julii, singulis annis in posterum, sub ritu duplicis secundæ classis peragere valeant.

Quod si in aliqua diœcesi, vel ordine regulari, vel Ecclesia quacumque, officium œqualis vel altioris ritus, prædicta Dominica occurrat, statuit, ut Officium et Missa de præiosissimo Sanguine fiat, tanquam in sede propria, in proxima die a festo primæ vel secundæ classis non impedita, transferendo juxta rubricas Officium, quod nequit recitari in propria die.

Declaravit insuper ut Officium recitandum prima Dominica julii nunquam omittatur, itemque ut firma et suo robore permaneant peculiaria Indulta et Privilegia jam concessa, recitandi nempe Officium hoc, vel in Quadragesima, vel alio anni tempore.

Sanctitas Sua ea profecto spe nititur fore ut per merita hujus pretiosissimi Sanguinis, fideles magis in dies fide vivificati, spe corroborati et charitate incensi, vitam ducant ab omni iniquitate alienam, et præmia assequantur æterna. Datum Cajetæ hac die 10 Augusti 1849.

L. S. A Card. LAMBRUSCHINI EP. *Portuensis, etc.*,  
S. R. C. *Præfectus.*

DECRETUM ELEVANS FESTUM VISITATIONIS B. M. V. AD RITUM  
DUPLICIS SECUNDÆ CLASSIS.

*Urbis et Orbis.*

Cum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX ab exordio sui Pontificatus, præsentissimum ac validissimum Beatæ Mariæ Virginis patrocinium fuerit expertus, dum ætate nostra Petri navis undequaque et raro exemplo sævis tempestatum fluctibus jactaretur, et Ipse acerbitate temporum ab Urbe discedere coactus ad multos menses ingemere debuit, super immensa errorum peste longè latèque impunè grassante, et insanientium hominum congerie in Ecclesiastici Status Loca confluentium, ut et humana et divina jura pessum ipsi darent; ac animo reputans sexto Nonas julii superiore anno, quo die ab Ecclesia peculiare recolitur Fes-

tum Visitationis ejusdem Deiparæ fuisse excussum occupantium jugum ab Urbe, et aliquot post dies civilem Apostolicæ Sedis principatum fuisse restitutum opibus, consilio, et armis inclytarum Nationum, et Principum, accito Rmo. Cardinali Aloisio Lambruschini Episcopo Portuensi, Sanctæ Rufinæ, et Centumcellarum, Sacrorum Rituum Congregationi Præfecto, Decessores suos S. Pium V. et Sa. Me.

Pium VII æmulatus, mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimæ Virgini quæ insperato sibi, et fidei populo christiano in adjutorium venit, hoc ipsum Visitationis Festum ducatur in posterum per Universum Orbem, ritu duplici secundæ classis: Atque hoc Decretum in Acta Sacrorum Rituum Congregationis reponi, ac publici juris fieri mandavit, pridie calendæ junii anno 1850.

L. S. A Card. LAMBRUSCHINI EP. *Portuensis, etc.*,  
S. R. C. *Præfectus.*

DECRETUM PRO GRATIA CONFIRMATIONIS TITULI DOCTORIS IN HONOREM S. HILARII EPISCOPI, ET ELEVATIONIS EJUSDEM FESTI  
AD RITUM DUPLICIS MINORIS.

Quod potissimum in votis erat fidelibus non minus quam universo Galliarum Clero, ac præcipue Aquitaniæ Provinciæ, ut summo nimirum illorum Patri Sancto Hilario Pictavorum Episcopo debitus honor, sicuti et ceteris ejusdem meriti ac dignitatis, demum decerneretur ab hac Sancta Apostolica Sede, quo laude ac titulo Doctoris, sicuti apud quasdam peculiare Ecclesias jamdudum gaudet, in universa Ecclesia coli queat cum officio et missa ritu duplici; illud ipsum statuendum humiliter postularunt Patres novissimæ Synodi Burdigalensis eo modo, quo non multis abhinc annis Summi Pontifices de S. Petro Chrysologo, Petro Damiano Episcopis, ac Bernardo Abbate præclarè statuerunt. Sanctus nempè Hilarius inter mundi procellas magnus fuit Ecclesiæ sustentator, occidentalis tuba contra Arianos,

ac, teste Hieronymo, confessionis suæ merito ac vitæ industria et eloquentiæ claritate ubique prædicator, ejusque libros eloquentissimos inoffenso pede decurri ac legi posse sine ulla erroris suspitione: qui pariter a clarissimo Ecclesiæ lumine S. Augustino in libro contra Julianum summis laudibus extollitur: cujus demum, fides ac doctrina a ceteris Patribus latinis et græcis magno in honore habetur. SSmus. Dominus Noster Pius Papa IX enixis hisce precibus attentis, ac volens hoc solatium Episcopatu reddere, ac peculiare decus fidei Galliarum Ecclesiæ tribuere hoc potissimum ævo, quo vetus Arianorum error reviviscit, negotium de more Sacrorum Rituum Congregationi librandum commisit. Quæ in ordinariis comitiis apud Vaticanas ædes subscripta die coadunata, referente Emo. Domino Cardinali Ludovico Alteri, visis objectis per R. P. D. Andream Mariam Frattini Sanctæ Fidei Promotorem oppositis in animadversionibus in medium prolatis, iisque omnibus per Defensores solutis, re maturius perpensa et examinata, ea fuit unanimis Emorum. ac Rmorum. Patrum sententia, ut scilicet rescriberetur: " pro gratia confirmationis Tituli Doctoris, et extensionis ejusdem Tituli cum officio et missa ritu duplici ad universam Ecclesiam in honorem S. Hilarii, Episcopi Pictavorum, si SSmo. placuerit." Die 29 mense martio anno 1851.

Horum omnium et singulorum facta postmodum eidem SSmo. Domino Nostro Pio Papæ IX per me subscriptum Secretarium fidei relatione, Sanctitas Sua Sacræ Congregationis rescriptum in omnibus adprobavit et confirmavit, ac desuper Apostolicas Litteras in forma Brevis expediri jussit. Die 4 mense aprili anno eodem.

A. Card. LAMBRUSCHINI, S. R. C.,  
*Prefectus.*

I. G. FATATI, S. R. C.,  
*Secretarius.*

Loco † Sigilli.

